
[redacted]



P A
6296
D7
M4
1912
MAIN

YC 00891

EXCHANGE



769z
M 515

EXCHANGE
DEC 10 1913


QUAESTIONES TULLIANAE

AD LIBROS QUI INSCRIBUNTUR DE ORATORE PERTINENTES

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

LUDOVICUS MEISTER
LIPSIENSIS



LIPSIAE, IN AEDIBUS DR. F. POPPII

Rettulerunt ad ordinis philologos de hac dissertatione

Heinze et Lipsius.

Lipsiae, d. IX m. Quint. a. MCMXII.

Procancellario
Fischer.

PA 629
D7
M4
1912
MAIN

PATRI CAROLOQUE FRATRI
SACRUM

270567

Conspectus:

Sigla:

C = codicum qui collati sunt omnium lectiones communes.

H = Harleianus 2736
A = Abrincensis 238
E = Erlangensis 848
(ε = quae in E manu recentiore ex integro quodam cod. expleta sunt)
(H, A, E, ε: HAE = M(utili) s. IX/X.)

e = Erlangensis alter 303
o = Ottobonianus 1259
l = Leidensis 127B
(λ = quae in l manu recentiore ex integro quodam cod. expleta sunt)
Lg.m = codd. Lagomarsiniani mutili 2, 4, 13, 32, 36
(e, o, l, λ, Lg.m: m(utili) emendati s. XIV/XV.)

L = Laudensis
O = Ottobonianus 2057
P = Palatinus 1469
(O, P: s. XV)
i = archetypus codd. OP
Lg. int. = codd. Lagomarsiniani integri s. XV
(L, O, P, i, Lg. int.: codd. I(ntegri).)

N = Norimbergensis Kobergeri editio 1497
Ell. = Ellendtii editio commentario instructa Regimontii Prussorum 1840
Sor. = Sorofii editio commentario instructa Berolini 1875
Pid. = Pideriti Harneckerique editio commentario instructa Lipsiae 1890[6]
Wi.[1] = Wilkinsii editio commentario instructa Oxonii 1892
Frid. = Friderici editio Teubneriana Lipsiae 1901

Praemonenda.

Ciceronis librorum qui inscribuntur De oratore magnas partes Servati Lupi temporibus desideratas esse condicione evincitur codicum M(utilorum) s. IX/X, qui per saecula usque ad hanc aetatem manserunt: A(brincensis) 238, E(rlangensis) 848, H(arleiani) 2736. Ex his aut eorum certe consimilibus deducti sunt alii recentiores (m) ut Erlangensis alter 303 (e), Lagomarsiniani (Lg.m 2,4,13,32,36, Ottobonianus 1259 (o) s.XIV vel XV ineuntis, sane ipsi quoque mutilati et a doctis aut sciolis modo haud infeliciter modo Musis aversis emendati. Nec potiores legit mss. Franciscus Petrarca, qui hos libros oratorios ita truncatos evasisse conqueritur, ita foedatos, „ut proprie melius fuerit periisse" (ep. rer. famil. XXIV, 4).

Integrum vero exemplar anno demum 1422 innotuit, quo Gerardus Landrianus episcopus Laude Pompeia librum vetustissimum repperit, qui arca ecclesiae multum temporis delituerat. Quem cod. tunc exoptatissimum cum Gasparinus ille Barziza accepisset, Cosmus quidam Cremonensis mandatu eius primum exemplar Mediolani exarandum curavit totum hoc scriptum continens litterisque bene explicatis. Et mox tota Italia codd. integris repleta est, ipse vero L(audensis) non multo post quod videatur deperiit.

Cuius classis et alii nunc in bibliothecis conservantur et O(ttobonianus) 2057 ac P(alatinus) 1469, quorum O non multis mensibus post L detectum secundum priorem subscriptiunculam perfectus est (cf. Heerdegen, ed. Cic. orator. 1884 proll. p. XVI).

Atque inde a primis editionibus typis impressis usque ad s. XIX ineuntis lacunosis codd. fere neglectis integrorum familia pro praestantissimo textus constituendi fundamento habebatur. Sed cum Ellendtius in editione a. 1840 vir summa doctrina acerrimoque iudicio praeditus imprimis secundum codd. quosdam

mutilos aevi recentioris (Lg. m 2, 4, 13, 32, 36) textum recensuisset, antiquiores quoque mutili recogniti excussi magis magisque ab editoribus adhibiti sunt. Immo Fridericus in editione Teubneriana tantummodo fere in M ac praecipue in H acquiescendum integrosque multo minoris aestimandos esse censuit. De OP vero quid sentiat, hisce, ut ipsius verbis utar, enarrat: „OP zeigen überall das Bestreben, einen lesbaren Text zu bieten. Dieses geschah durch eine scheinbar übersichtlichere oder auf falscher Eleganz beruhende Wortverstellung, durch das Einleimen erklärender Glossen in den Text, durch Verknüpfung der Satzglieder mit Partikeln, durch den grammatikalen Ausbau prägnanter Konstruktionen, durch das Zusammenflicken verschiedener Lesarten in eine, durch die Umbildung unverständlicher Worte in lateinische, und ähnliche Arbeit. Kurz, während wir in den mutili unmittelbare Abschriften ihrer Vorlagen haben, in denen Änderungen des ursprünglichen Textes weit hinter diesen Vorlagen selbst zurückliegen, sehe ich in OP nicht solche des Laudensis selbst, sondern Abschriften, und nicht einmal sorgfältige, eines auf Grundlage des von Cosmus besorgten apographon wohl durch Barziza überarbeiteten Textes" (Fleck. Jhrb. 135. 79.).

Sed licet M sat religiose ex archetypo suo transscripti sint, tamen et Fridericus saepius agnovit iam in hoc libro cum verba scriptoris ineptissimarum lectionum farragine quadam inquinata esse ut II. 193 *crati* pro 'gnati', 195 *adelictum* pro 'adflictum', 196 *sine rati* pro 'miseratio', 209 *non gessit* pro 'longe', tum plurima esse verba variis de causis omissa. Huiusmodi locis plerumque ad integros refugit. Sed ubicunque aliqua fieri posse sibi persuaserat, suos secutus mutilos verba quae in M desunt in L leguntur condemnatorum instar in vincula coniecit, orationem vero exornatam atque elegantem circumcidit et amputavit. Atque eo processit in verbis delendis, ut et verba, quae non solum in integris sed etiam in compluribus codd. mutilis exstarent, secludere non dubitaret. Nec non, quo studio codd. M atque amore erat, vel ea mutare ex suopte arbitrio ausus est, de quibus M cum integris convenirent, ut verba quaedam in M tradita servarentur quae corrupta esse aliis quidem doctis placuisset.

Hanc viam atque rationem laudavit Wilkinsius, qui in altera editione (Oxonii 1892) commentario instructa integrorum lectiones paene neglexit, in altera minore (Oxonii 1901) paucissimas nec eas semper accurate adnotavit (cf. Stangl, Woch. f. Klass. Phil. 1903. 97 squ.). Alii vero monuerunt, ne libri integri nimis codd. M postponerentur ut doctissimi Ammonius (Bl. f. d. bayr. Gymn. 28. 621, Burs. 105. 225), Krollius (N. J. 1903. 681 [2]), Pichonius (mél. Havet, Paris. 1909. 361).

Stanglius vero qui codd. utriusque classis peritissimus existimatur, multo plus et OP et alios integros ad scriptum edendum (1893 Pragae et Lipsiae) adhibuit, etsi M melioris fidei esse sibi persuasit, et Courbaudius in editione libri primi (Paris. 1905) hanc classem pluris esse illa negavit (p. LXIX.).

Sed utrius partes sequendum sit, Friderici an Stanglii an neutrius, aut quae ratio intercesserit inter L et exemplaria integra servata, cum adhuc ambigatur, Stanglius ipse suasit (D. Lit. Ztg. 1891. 1783 sq.), ut accuratius de integrorum familia disputaretur sicut Stroebelius de M egerit (act. philol. Erlang. III. 1 sqq.).

Sed nos huic tantummodo rei operam dabimus, ut anquiramus, quae auctoritas sit in libris OP utpote quorum lectiones si non omnes, at certe plurimas magna diligentia et labore a Friderico adnotatas esse Stanglius professus sit (l. l. 1783, nonnullos errores correxit Kornitzerus Zeitschr. f. öst. Gymn. 1892, 713 squ.). Ipsius autem viri doctissimi apparatum criticum „omnibus quicunque sunt uberiorem" adhuc emissum non esse et alii et ipsi valde dolemus.

Ceteros autem integros, qui OP nec antiquiores nec potiores esse videantur, quot quidem usque adhuc accuratius inspecti sint, raro cauteque assumemus. Namque nec satis de iis ab Ellendtio docti sumus et quaestionem minus contortam et difficilem fore speravimus, si OP soli in disputationem vocarentur. Qua re disceptata quae ratio inter OP ceterosque integros intersit, expeditius alios visuros esse existimamus. Hoc autem Ellendtio quidem auctore dici potest OP compluribus lacunis ac corruptelis propriis ab omnibus integris differre. Veluti his locis:

II. 75 'decantet' dicat et OP, 83 'omninoque' omnino. Cum OP, *327* 'in ignem impositast' om. OP, III. 136 'nulla cognitione rerum' om. OP, 175 'vitium est et tamen eam coniunctionem' om. OP add. 0², 188 'ad persequendum ÷ ista' om. OP, *226* 'Ego vero inquit Crassus ac doleo quidem illos viros in' Ego vero inquit illos viros qui OP, *224* 'deinde (quaecunque)' deindeque OP, *227* 'quod tamen interius' quoddam in inferius OP, *212* '(quandoque) deceat' id deceat OP.

Quod vero Reisius (diss. Argent. XII. p. 100) edixit nihil impetrari, si quasi tabellae conscriberentur, e quibus appareret, quot et quales errores in M et integris essent commissi ac quousque classis utriusque fidem sequi possemus, nos non veremur, ne in hoc opere suscipiendo vituperemur.

Plurimis enim locis, utra scriptura verior sit, nec ex significatione sententiae nec ex dicendi ratione qua Cicero utitur patet. Quae diiudicari non possunt, nisi cognitum habemus, quae fides in singulis codd. sit. Deinde si saepius alterius familiae scribas eodem modo errasse invenerimus e. g. in solvendis quibusdam scripturae compendiis, facilius locos dubios et salebrosos reficiemus.

Ceterum satis habebimus eas huius scripti partes diligentius perscrutari, in quibus OP cum tribus illis M antiquissimis conferre possumus, dico II. 19—50, 60—90, 92—*233*, 288—III. 17, 110—148, 171—*230*, lectiones autem alibi inventae rarius asciscentur. Restat ut Friderici Marxii prolegomenis ad auctorem ad Herennium scriptis (ed. Lipsiae 1894) permulta me debere grato animo hic confitear.

Caput I.

Quae ratio inter L et mss. OP intercesserit.

Cum exquirere in animo habeamus, quanti ea facienda sint quae in libris OP qui vocantur integri leguntur, summi nostra cognovisse refert, num ex ipso L „ipsa intuitione religionem quandam mentibus hominum inferente“ originem duxerint. Atque Heerdegenius id ipsum colligi posse autumavit et ex verbis: „Ex

vetustissimo Codice“ subscriptionis in P altera manu adscriptae (proll.p.XIV) et multis ex scripturae in O vitiis quae vocibus male distinctis nata sunt. Quocum viro docto consenserunt et alii de hac re et Sabbadinius (Riv. di fil. XVI. p. 113) atque Antonius Cima (ed. l. I[2] Augustis Taurinorum 1911 p. 152) quibus cod. P Cosmi apographon ipsum esse visus est.

Quibus suo iure Stanglius (Bl. f. d. bayr. Gymn. 21. 24 sqq.) oblocutus est. Nam in OP eadem capitula isdem locis spatiis vacuis relictis distincta sunt. L autem illum interpunctionibus caruisse cum cod. F(lorentini) Magl. I, 1, 14 habitu ostenditur, quo sine ulla dispositione capitum Orator et Brutus traduntur, tum hac nota in Ottobon. 1592 (B) similiter atque in N(eap.) IV B 36 ad Bruti § 49 verba ‘Et Graeciae’ adnotata:

„In veteri continuat testus ubique sine capitulo vel testiculo. verum unde hec c[a]. tu mi Guar. intellegis“ (cf. Stangl. Bl. f. d. bayr. Gymn. 21. 40, Reis, diss. Arg. XII. p. 16.).

Quare cum interpunctiones L prorsus deessent, consequitur, ut aut uterque liber manu scriptus non ex illo ipso, sed ex apographo quodam eius emanarit, in quo capita adiecta erant, aut alter ex L transcriptus alterius velut parens fuerit.

Neque vero unum ex ipso L haustum eiusque ad effigiem alterum expressum esse probabile est his de causis. Namque primum duo illi tam nitide atque ita non cunctanter exarati sunt, ut Fridericus qui eos contulerit L „non sat a plerisque legibilem“ neutrius exemplar esse posse iudicarit (Fleck. Jhrb. 135. 75), verum ex eo codice deductos eos esse cuius litterarum effigies facilior esset recognitu.

Tum — quod plus valet — quibusdam locis in P verba omissa sunt quae in O scriptura continua leguntur ut II. 164 ‘non ÷ tradidit’, 121 ‘et moveantur’, et vice versa, etsi rarius hoc accidit: veluti III. 175 ‘si efficitur coniunctione verborum’ extat in m MP, non in O.

Nec vero probabile est has voces non ita multas, quae in altero tantum ms. inveniuntur, ex alio quodam cod. assumpto decerptas esse. Hoc enim tenendum est codd. OP, ut sunt praeclarissime exornati, doctorum in usum scriptos non esse (Stangl., l. l. p. 42). Quod vero utriusque ordo verborum aliquoties inter

se discrepat ut II. 36 M 'hac arte', O 'hac una arte', P 'hac arte una'; ibidem AE 'alia aliqua arte', O 'aliqua alia arte', P 'illa aliqua arte' — crebro enim 'ille' et 'alius' inter se confunduntur (cf. Marx, auct. ad Her. proll. p. 29) —, 262 'inquit' M, 'inquit mihi' O, 'mihi inquit' P, facile ita potest explicari, ut in eo libro ex quo OP quasi rivuli derivati sint, exstitisse suspicemur 'hac $\overset{\text{una'}}{\text{arte,}}$ '$\overset{\text{alia}}{\text{aliqua}}$ arte', '$\overset{\text{mihi'}}{\text{inquit,}}$ verbumque superscriptum hic in O illic in P collocatum esse. Aliae autem illorum differentiae sicut in gemellis fieri solet minutae sunt, ut de iis agere supersedeam.

Itaque cum neutrum ad alterius exemplum factum esse pateat, plurimorum opinioni assentandum est OP non L ipsius apographa esse, sed libri alius quem i(ntegrum) nominabimus. Ne non recte hoc intellegatur, Stanglius littera J universos libros qui hoc scriptum totum et integrum exhibent signavit, cum in hac dissertatione solus archetypus codd. OP in littera i intellegendus sit.

Brutum vero quem primum ex L se transcripsisse Blondus gloriatur (Detlefsen, Verh. d. Phil. Vers. in Kiel 1870, p. 98), aliunde in O additum esse statuemus, cum in P non legatur.

Multo difficilius scilicet neque eiusdem fortasse momenti est enucleare, quinam cod. i composuerit et interpunxerit. In subscriptione cod. O altera (Heerdegen, proll. p. XVII) anno 1425 i. e. tribus annis post ms. ad finem perductum adscripta Franciscus Bossius episcopus Cumanus laudibus effertur quam maximis, „propterea q(uo)d primum ueterem . . . codicem non sat a plerisque legibilem ob antiquarum litterarum effigiem stilumque incognitum in latinas et explicatas bene litteras studioseque interpunctas sum(m)a diligentia renouauit." (Heerd. proll. p. XVII.). Iurene primus interpunxisse exemplar dicatur, non minus dubium est quam an „litteras interpunctas" merito, ut Stanglius voluit, et ad capitula referendum sit (l. l. p. 41). Utut res se habet, i in primis libris nostro iure numerabimus, qui et scripti partes „nuper repertas" comprehenderint. Namque L exploratus non multo ante a. d. IV Id. Iun. 1422 percrebruisse videtur, cuius primum in Poggii epistula hoc die data mentio

fiat (Detl. l. l. p. 97). O vero secundum priorem subscriptiunculam 1422 „die paenultimo novembr(is)" (Heerd. proll. p. XVI) perfectum aliquanto saltem ante exarari coeptum esse ex artificiosa scribendi ratione colligitur. Sed P quo tempore confectus sit ignoramus.

i autem utrum pro exemplari Landriani in usum a Cosmo (cf. p. 7) „nude et inornate" composito habendus sit an ex codice Barzizae proprio, quippe qui L in scriniis habuerit, descriptus sit, disceptare non audeo.

Dicuntur Orator quidem et tres De oratore libri ex L *non nisi semel* scilicet a Cosmo ante annum 1428 transcripti esse, quo anno Lamola ille doctus hoc scribit Guarino Veronensi: „hic autem codex (sc. L) . . ab istis in quorum manibus (sc. est) quique ex eo accurato exemplari exemplum *quod uulgatum undique est* traduxerunt summis ignominiis adfectus est" (Sabbadini, riv. di fil. XIV 425 sqq.). Quid vero? Suo ille iure enuntiavit ex ipso L unum tantum exemplum exscriptum esse?

Age nunc quaeramus, id quod plurimum interest, quae ratio intercedat inter L et i, qui cod. haud difficile recuperatur, quoniam OP raro, ut supra diximus, inter se dissonant. Si Cosmus aut quisquis fuit, qui archetypum i perfecit, ad litteram cod. L transcribendo reddidisset, in textu restituendo simplici sane ratione critica neque difficili uteremur. Atque fore probabile est, ut comparantibus nobis utriusque familiae scripturas pervetusti atque integri L apographum multo lacunosis praestantius videretur. Namque cum litteras cod. L paene incognitas paucissimi scirent legere (Detl. p. 98), nescio an s. VIII sive IX recentior non fuerit (cf. Stangl, Tulliana, progr. Luitpold-Gymn. Muenchen 1897 p. 5). Sed esse puto, cur merito addubitemus, an i ex solo L fluxerit. Nam si quis diligentius librorum de quibus agitur partes M cum i communes inspexerit, subinde item in i peccatum esse atque in M cognoverit. Velut, ut alia omittam, in quibus scrupulus quidam restat eosque locos quibus M partim servati sint partim deficiant, de his locis editores suo iure, opinor, consentiunt eodem naevo universos M ac i depravatos esse:

II. 23 'Sic enim res sese habet, ut . . gestiant ac . cupiant'

gestiunt; cupiunt Mi, 36 'si quisquam dicitur nisi orator formare' *dicit* Mi, 38 '(multi,) medicus' *medici* Mi, 66 'controversias quae temporibus . . notatae sunt' *notae* Mi, 80 'augendi causa' *agendi* Mi, 84 'doctiores' *doctores* Mi, 89 'ad discendum' *dicendum* Mi, 119 'qua ratione' qua *oratione* Mi, ib. 'certis dicendi luminibus' *ceteris* Mi, 147 'Et sic' Et *si* Mi, 172 'paria comparabimus' paria . . mus HA (sp. v. interp.), E (◡̇ s. l.), *paria* Vat. Regin. 1762 (R), i, 173 'recita enim tabulas' *recito* Mi, 214 'emissum est' *emissa* est Mi, 227 'maior contentio' maior *contio* M, *contio* maior i, 229 'praetermittendarum' *praetermittendum* Mi, 299 'dicitur . . . pollicitus esse' *pollicitum* Mi, 310 'homines' *omnes* Mi, 317 'est spectandum' *expectandum* M, *exspectandum* est i, 341 'Q. Tuberoni' *p* M, *Publio* i, 357 'affigi' *effingi* Mi, III. 4 'pigneribusque ablatis' *allatis* Mi, 4 'esse ferebantur' (i. e. ẽẽ f.) *efferebantur* Mi, ib. 'me his' *meis* Mi, 110 'vi' *ut* Mi, 115 'aut cum quaeritur' *ut* Mi, 121 'posmeridianae' *promeridianae* Mi, (cf. or. 157 'posmeridianas quadrigas quam postmeridianas quadrigas lubentius dixerim'), 198 'audere' *audire* Mi, 216 'lene asperum' *leue* Mi.

Adnotandum autem est locos aliquot quos in Mi corrupte scriptos esse attulimus, in quibusdam m emendando ante sanatos esse quam L repertus est. In Lg. m(utilis) enim, quorum parentem A esse multa indicia sunt (Frid. adn. cr. p. VI), optime correctum est Ellendtio auctore: II. 38 'medicus', 80 'augendi', sic etiam cod. e; 119 'ratione', 147 'sic', 299 'pollicitus', III. 4 'ablatis', ib. 'me his'.

Hic quaesiverit quispiam: „Cur omnia haec laboriose constipasti, quae iam in L casu et fortuito eodem modo atque in M aut in archetypo et M et L errata erant?" Quid vero tu, quod nonnunquam eadem in i detracta sunt, eadem in M? Ut

II. 73 'non sane quem ad modum <ut> in clipeo eidem artifex minora illa opera facere discat laborabit.' *ut* om. Mi. Iniuria Pideritus 'eidem artifex' quod in Mi invenitur delevit. 312 'vel argumentis <nostris> confirmatis vel contrariis refutatis'. *nostris* om. Mi, 343 'quorum aliast <alia> ad laudationem aptior' *alia* om. Mi, 343 '<in> ingenii. facultate' *in* om. Mi, 356 '<in> ingeniis nostris' *in* om. Mi, 358 '<et> similium verbo-

rum' *et* om. Mi, III. 117 '<ut> rex et tyrannus' *ut* om. A[1] E H i, 145 'repente <te>' *te* om. Mi.

Etiam § 200 nonnulla verba post 'moveantur' in M et i omissa esse Fridericus recte statuit. Nam quod Stanglius quicquam desiderari negans mutavit 'putet' et 'moveatur' pro 'putent' et 'moveantur', refellitur mea quidem sententia collatis or. 127—129; neque hoc ferri potest: 'orator ita conformandus est et *verbis* et *sententiis,* ut . . . cum venustate *moveatur*'.

Accedit vero aliud ad hoc quod quaeritur diiudicandum maximi momenti: quod inter versus scriptoris eadem verba spuria vel simillima, quamvis pauca sint, in i irrepserunt atque in M (cf. Stangl, Tull. p. 50). Legitur enim hoc: II. (44) 'Sed non omnia quaecunque loquimur, mihi videntur ad artem et ad praecepta esse revocanda. (45) Ex eis enim fontibus unde omnia ornamenta dicendi [*praecepta* Mi] sumuntur, licebit etiam laudationem ornare neque illa elementa desiderare . .' 'praecepta' inclusum est, quia sententiae antecedenti repugnat (cf. Ellendt. ad l.); in Statii versu 257: 'tánta confidéntia? [*estis* i M=H, — AE hic desunt —] Auferte ístam enim supérbiam'. 310 'ut ad eorum mentes apud quos agetur [*movendas* Mi] permanare possint' (cf. Stangl. l. l. p. 50), 335 'enumerabit commoda pacis opum potentiae vectigalium praesidi militum [*utilitates* Mi] ceterarum rerum quarum fructum utilitate metimur, itemque incommoda contrariorum'. Opponuntur 'commoda' incommodis, 'utilitates' autem coniunctione cum 'commoda' non iunctum haud immerito Manutius delevit (cf. Stangl. l. l. p. 50). III. 135 'Num, quia ius civile didicerat, causas non dicebat? aut quia poterat dicere, iuris scientiam neglegebat?' in Mi additum est '[*non*] didicerat', quod sententiae contrarium est. II. 213 'In utroque autem genere dicendi et illo, in quo vis atque contentio quaeritur, et hoc quod ad vitam et mores accommodatur, et principia tarda [*sunt* Mi Non. p. 392 M.] et exitus tamen spissi et producti esse debent. Nam neque adsiliendum statim est ad genus illud orationis . . . . nec cum in eam rationem ingressus sis, celeriter discedendum est'. „'sunt' maxime incommodum ad sententiam, quod etsi natura tarda principia sunt, tamen sequentia ostendunt Antonium non de hac re, sed de

praecepto dando cogitare" (Ell. ad l.). Delere 'sunt' (i. e. s̃) autem, ut plerique censuerunt, concinnitatis causa malim quam cum Piderito mutare 'sint'. Hic sese res aliter habere videtur quam locis praecedentibus. Namque cum Nonio teste iam III circiter saeculo hanc voculam inculcatam fuisse appareat, fieri potest, ut et in integrae familiae archetypum invaserit. Neque vero minus probabile hoc existimo 'sunt' ex codice quodam Tulliano classis mutilae a Nonio sumptum esse quo uteretur. Grammaticos enim, rhetores, ipsum Quintilianum (cf. or. 137) libris mutilatis vulgatae, quae in usu erat, recensionis usos esse plus semel inde elucet, quod locis huius scripti et Oratoris ab iis laudatis in optimis libris mss. pares lacunae praebentur atque in M, cum in libris integris nihil desideretur. Quare iam primis p. Chr. n. saeculis fuisse libros diversi generis ponamus necesse est. — Neque aliter de hoc interpretamento iudico de quo i cum M et Rufino (Keil, gr. L. VI. p. 568) convenit: III. 182 'Quare primum ad heroum nos *[dactylici et anapaesti spondei]* pedem invitat', quem locum Madvigius apud Henrichsenum (ed. Haun. 1830) suo Marte restituit. Huc sane accedunt alia menda admodum multa quae M tantummodo parti cum i communia sunt, cum alii codd. M desint ut: pro 'Aelius' II. 262: heluius M=Hi, ordoque verborum perversus est I. 61 'Physica ista ipsa et mathematica et quae paulo ante ceterarum artium propria posuisti' ipsa quae paulo ante et mathematica et ceterarum M=HEi.

Cum haud ita paucis locis easdem corruptelas, lacunas, glossemata in omnibus quicunque exstant M et i invenerimus, non iam flocci fecerimus nonnunquam i cum quibusdam M congruere, ab aliis discrepare. Ut

II. 85 'ad mediocris oratores' *orator* HEi, 108 *'quid sit ars'* om. HE^{2}i, 212 'et ex illa lenitate' *et* om. Ei, 340 'quae spectare' *expectare* Hi, III. 117 'discribuntur' *distribuuntur* E^1 i, 196 'catervae atque concentus' *conuentus* E (corr. 1) e i, 207 'dissupatio' *disputatio* Ei, II. 31 'magis a veritate ut tu putas' *magis ut tu putas a veritate* Hi.

Non modo autem cum M testibus illis antiquissimae scripturae i corruptelas aliquot communes habet, verum etiam cum

codd. recentioribus m generis emendati, ubi verum in M traditur. E. g. invenitur:

II. 34 'quae quidem ornate dici graviterque debet' *debeat* i e (cf. Sor. Pid. a. l.), 143 'in otium soliumque' *solitudinemque* i o e, 143 'ut quae sint in iure vel acute discribere vel ornate inlustrare possit'. *sunt* e i falso, quia in huiusmodi enuntiatis attractio quae dicitur modorum usu venire solet. 155 'Atque ego hoc ex iis saepe audivi' *hoc* om. i m, 222 'in Scaevola' *scaevolam* le i, at spectat ad 'sic in Bruto' quod sequitur, 225 'pro di immortales' *proh* o e i, 228 'esse quamvis facetum' *quemvis* e i, III. 154 'ut di' *uidi* e i, 219 in versu quodam allato: 'adtractatum advenit' *atrac*tum e, *attrac*tum i, 227 'et idem illud ad firmandam est vocem salutare'. *affirmandum* om. 'ad' e OP[1]. —

Quae igitur sunt consequentia? Quae in M m et i una atque eadem ratione cum perversa aut pessumdata, tum supposita leguntur, nimis multa sunt, quam ut verisimilius duxerim isdem omnibus aut casu quodam caeco et ludificante iam L fuisse inquinatum aut archetypum codicum L M, qui primis p. Chr. n. saeculis scriptus esse videatur (cf. p. 16). Atque hoc eo magis improbabile est, quia libris OP, quorum quasi avus L est, partes huius scripti et Oratoris in M amissae, quantum quidem huius aetatis criticis placuit, satis pure mundeque traduntur neque Brutus gravius vexatus est (cf. Jahn-Kroll, 1908[5], p. 18). Num L corruptelis gravioribus hic paene caruisse credamus, alioquin turpissime esse deformatum?

Velim audiamus, quomodo primum apographon perfectum esse tradatur. Barziza qui a Cosmo primum exemplum faciendum curavit, Gerardo Landriano episcopo haec scribit: „Feci autem, ut pro illo vetustissimo, ac pene ad nullum usum apto, novum manu hominis doctissimi scriptum, *ad illud exemplar correctum* alium codicem habeas" (Detl. l. l. p. 98). His Barzizae ipsius verbis hoc clarum fit Cosmum non transscripsisse L „non sat a plerisque legibilem", sed correxisse et supplevisse exemplum quod ei praesto erat vulgatae recensionis.

Atque prae hoc testimonio sordet narratio Blondi, qui haec refert: „Cosmus . . tres de Oratore libros primus *transcripsit*"

(Sabbadini, riv. di fil. XVI. p. 109). Num putas Landrianum aut plerosque alios litterarum studiosos novo tum codice detecto desiderasse quicquam aliud quam membranam integram emendateque scriptam possidere? Minoris certe plurimorum interfuit, utrum ad litteram ex L transcripta esset necne. Nam si id ipsum cordi eis fuisset, quidni librorum de inv. et ad Her. qui „habebantur" neque apographon „saec. XV factum esse traditur neque L in ed. aliqua librorum de inv. vel ad Her. adhibitus est?" (Marx, proll. 33) A primo autem Cosmi apopraphо et alios codd. integros et OP originem ducere videri supra diximus (p. 13).

Ergo codicem quendam mutilum assumptum esse in recensendo i pro certo putabimus, sane celerius ut primo apographo integro confecto exempla propagarentur.*) Qualis codex lacunosus adhibitus sit aut quales libri, nos plane fugit. Profecto quaedam lectiones generis tantum emendati propriae recensori l. i notae erant (cf. p. 17) atque ante L detectum omnia quae potuerit antiquiora exemplaria se collegisse Barziza gloriatur (Sabbadini, riv. di fil. XVI. 104).

Nos autem recte explicavisse, qui factum sit, ut passim cod. i librarius in eosdem errores delaberetur qui in Mm inveniuntur, alia re confirmari videtur. Omnibus enim placuit (Frid. Fleck. Jhrb. 135. 79, Stangl. Tull. p. 54 squ.) in i saepissime ordinem verborum perversum esse. Atque hoc cum haud raro factum esse patet — id quod accuratius infra (p. 70) enucleabimus, — eo consilio, ut facilius verba scriptoris quo modo cohaererent a quovis intellegeretur, tum turbam verborum ibi existere mox perspexeris, ubi in M videntur voces aut omissae aut depravatae esse. Cur his locis voces in i transiectae et turbatae sint et nonnunquam quaedam exciderint, id quod non saepe alioquin in i accidere solet (cf. p. 41), facile iam

---

*) Rectissime Voigtius dixit: „Dann machte Gasparino aus den bisher bekannten Bruchstücken und dem neugefundenen codex die erste Rezension, die sofort in Copien einen wahren Triumphzug durch Italien hielt" (Wiederbelebung des klass. Altert. I³, p. 245).

cognoscetur. Is enim qui scripturas cod. cuiusdam lacunosi et famosi illius L in unum confudit, in commiscendo modo quaedam omisit, modo supplementum falso loco posuit, modo quod iam vidimus (cf. p. 14) corrupta corrigere neglexit. Audias ipse: Editores haec dant II. 113: 'tria sunt omnino genera . . .: „Quid fiat factum futurumve sit" aut „Quale sit" aut „Quomodo nominetur".' Repetita autem voce 'aut' deceptus scriba M archetypi omisit: 'quale sit aut' quae lacuna in i recte expleta est. Sed quia idem verbum 'aut' in supplementi fine exstabat quod ante id, priore loco 'aut' in i excidit. 62: 'quantum munus sit oris (H^1 E^1 horis) historia' M; in i 'oratoris' correctum est, sed perperam transiectum 'sit munus'.

182 recte post 'et instituta' suppletum est: 'et facta et vitam' qua de re postea (p. 36) agemus, 'et' vero ante 'instituta' scriptum non est, 144 'et istatim' M, 'istam' recte i om. 'et', 170 vulgo legitur 'ex praecurrentibus et ex repugnantibus': ex praecurrentibus expugnantibus M, 'ex praecurrentibus et repugnantibus' correctum in i om. praepositione 'ex' post voculam 'et'. III. 137 'instructior fuisse <traditur> quam' i 'instructior fuisse quam' M. 'traditur' non in iusto loco in i positum esse Stanglius ostendit (Tull. p. 56), namque facilius intelligitur, quare post 'instructi*or*' 'tradit*ur*' praetermissum sit.

Multa talia afferri possunt. Similia autem de expletorum codd. indole rhetoricae ad Her. Marxius refert (proll. p. 40).

Verborum igitur ordini in i suppeditato imprimis locis ipsis aut suppletis aut emendatis valde diffidendum esse facile est intellectu. — Quibus rebus cognitis utrum expletos codd. OP malimus appellare an integros non multum interest.

Certe ne putes in lacunoso quodam libro aut omissas tantummodo partes expletas aut pauca superscripta esse, ita ut in quibusdam codd. lacunis carentibus accidisse Ellendtius enarrat (I, p. IX) aut in genere codd. suppletorum correctorumve qui Oratorem continent (cf. Heerdegen, proll. p. XIX sq.): funditus verba scriptoris renovata esse in i unaquaque fere in pagina videris.

Neque vero doctos — doctissimus enim erat Cosmus neque a rudi homine O exaratum esse inde colligas quod velut haec

or. 158 ad 'insilit terram' ascripta sunt: „pessime enim *amicus noster* antiquarum litterarum cognovit effigiem" — nimis in textu restituendo curiosos fuisse Lamola testatur cuius iam mentionem fecimus (p. 13). Vehementissime hic anno 1428 in Barzizam eiusque socios invehit: „Codex, inquit, summae quidem venerationis et antiquitatis non volgaris effigies ab istis in quorum manus incidit . . . summis ignominiis adfectus est quippe qui multa non intellexerunt, multa abraserunt, multa mutarunt, multa addiderunt . . . . . Ego tamen, quantum diligentiae ac ingenii peritiaeque in me fuit . . . adhibui, ut omnia secundum priorem textum rescriberem . . . Velim potius cum veteri illo delirare quam cum istis diligentibus sapere" (Sabbadini, riv. di fil. XIV, p. 433 squ.). Licet haec convicia nimia sint, „logodaedalos istos et sane barbaricas beluas" non sine causa vituperari multis lectionibus evincitur. Namque verba et transposuisse et mutavisse obsoleta et inculcasse sua fusius infra explanabimus.

Ut hic paucissimis exemplis utar:

II. 134 'qui civem ex senatus consulto patriae conservandae causa interemerit' voculam inusitatam commutaverunt tantummodo in i et Lg. 76, 81 tritiore *'interfecerit'*. III. 141 'versumque quendam Philoctetae paulo secus dixit'. Paucissimis codd. omissis tantum in i scriptum est *'de Philocteta'* genere dicendi quod potius linguarum quae vocantur Romanenses quam sermonis Latini videtur esse. Idem cadit ad III. 65 'atque hanc [*ab* i Lg. aliquot] iis habeo gratiam'. 212 'omnique in re posse quod deceat facere artis et naturaest, scire quid quandoque [*id*] deceat prudentiae'. In i solo 'id' appositum est quod a 'quid' abhorret. II. 15 'Equidem quaequomque vos causa huc attulisset, laetarer'. Auctoribus Mm pronomen 'vos' secundo ut plerumque fit loco (cf. p. 73 sq.) a scriptore positum est. Recensorem autem cod. i ubi legitur 'quaecunque *causa vos* huc' ad suum ipsius arbitrium 'causa' cum pronomine ad quod spectat coagmentasse inde probabile est, quod ceteri praeter Lg. 81, 84 integri de hac re cum M consonant. Sed haec hactenus.

Iam satis exempla conlata esse puto, ut natura atque condicio apographi i non iam lateat. Ut auctorem archetypi codd.

expletorum, quo saec. fere XII libri IV de ratione dicendi ad Her. scripti primum integri traditi sunt, tribus ad novam recensionem conficiendam subsidiis usus est, dico codice quodam mutilo, codice illo deperdito integro, suis coniecturis et emendationibus (Marx, proll. p. 39), item Cosmum et Barzizam in componendo cod. i egisse neque iniuria mixtos codd. OP a Stanglio (Tull. p. 6) nominari ante oculos est.

Iam restat, ut examinemus qualium lectionum sponsores ii sint, qui codd. O et P permulta adscripserint. Quid? L ille correctoribus in manibus fuit eiusque fide mss. OP emendati sunt? Certe de O quidem credemus, si subscriptiunculae (Heerdegen, proll. p. XVII) confidendum est. Hac enim altera manu adscripta aperte hoc dicitur, qui contineantur libri, eos a Viglevio quodam simul cum duobus Bossiis fratribus Papiae mense Aprili anno p. Chr. n. 1425 — i. e. tribus annis post codicem perfectum — quamvis cursim „correctos auscultatos collectos emendatos conformatos et iustificatos esse cum codice illo vetustissimo" quem Gerar. Landr. Episcopus Laudensis repperisset.

De P vero non satis constat, qui secundum subscriptionem, quae a scriba ipso exarata non esse videtur (Heerdegen, proll. p. XVI), ex „vetustissimo codice" transscriptus ad exemplar emendatus est. Sed cuiusnam codicis ad exemplar: L an i an alius tertii? Cod. P cum apographon cod. i esse statuerimus (cf. p. 12), denuo huius archetypi ad exemplar recensum esse verisimillimum videtur. Sed non unus, verum complures a Friderico correctores distinguuntur (Fleck. Jhrb. 135, 76), quorum quidam signis *al'* aut *al* utuntur. Nec tres tantum viri in O corrigendo operam posuerunt, sicut in subscriptiuncula traditur, sed a pluribus, quod quidem Friderico placuerit (l. l. p. 78), permulta in margine adnotata sunt eaque variis sub signis sive *vet'* sive *al'* sive *al.* Quae prioribus correctoribus attribuenda sunt, quae postea adiecta sunt? Age singula ratione lustremus et animo.

In discernendis nos autem aestimandisque lectionibus O adscriptis tum denique aliquid L ipsi aliqua cum fide dabimus, si quid neque in ullo quem norimus codice ante 1425 exarato

aut mutilo aut integro traditum est neque plane absurdum videtur. Namque si idem quod in O adnotatum est in alio codice legitur, suspicemur, ut semel iam diffidere coepimus, ex hoc ipso sumptum id esse, non ex L. Sin autem admodum stultum est, facile verebimur, ne sui ingenii de penu prompserint aut falso scripturam perveterem explicarint.

Ac profecto optime sperabimus de iis quae nota *vet'* notata vetustissimi illius L propria videntur. Fallit nos vero spes. Harum enim lectionum ex numero, qui XXXX excedit, quinque tantum aut sex neque in alio libro inveniuntur et sicut ad emendandum verborum contextum utiles ab editoribus probari solent: 'ita ut a sententia *scriptura* dissentiat' I. 140: scriptum i — M desunt — scriptura O vet' *ελ*, si quidem quae defecerunt in cod. E et Leid. 127 B (l) a manibus recentioribus (*ελ*) post 1425 expleta sunt, '*discendum*' P² O vet' II. 89: dicendum Mi, 'suscipere' i — M desunt — III. 22: *suspicere* Ovet', '*dilucidique* sermonis' Ovet' 38: lucidique i — M desunt.

Quod vero Fridericus '*meri* (principes)' O vet' P² mrg. II. 94: pro 'innumeri' MO — in spatio vac. cunctanter — om. P ex Nonio (344.18 M.) exscriptum esse arbitratur (in adn. crit.), inde refellitur, quod anno demum 1425 Poggius videtur Parisiis codicem quendam Nonium continentem in Italiam misisse (Voigt, Wiederbel. d. klass. Altert. I³, p. 247). Ad scribendi rationem pertinet III. 144 'de inlustranda oratione uti diceres' ut C, uti O vet' quod nescio an clausulae causa praeferendum sit.

Aliae lectiones non abiectae, quibus adiciendae sunt nonnullae orthographiam tantum attinentes ut 'magno opere' AO vet' II. 195 loco 'magnopere', 'ac tamen' O vet' P III. 79 pro 'attamen', leguntur eodem modo aut in P aut in codd. M sive universis sive quibusdam sicut 'videtisne nulla esse praecepta?' II. 64 nulla MO vet', ulla oi, aut 'accommodatam' O vet' P III. 212 pro 'accommodatum' MO.

Tum menda praebentur quamvis pauca quibus mirum ad modum codd. ipsi quoque PHe adulterati sunt, cum verum in O verborum contextu servetur: 'quinque *sexve* partis' II. 79 sexue i sexne HO vet' et al', pro '*sol* me ille admonuit' III. 209 sol MO solus (i. e. sol') e PO vet' et al'. Atque hi errores leviores

sunt, quam ut ex H aut libro e sumptas eas lectiones esse necesse sit. Quid autem, quod in O, si modo Friderici adnotationem recte intellexi, recte scribitur: *'audiendi'* III. 18, perverse autem 'adveniendi' in P et in nota O vet'? Haud scio an duae in i lectiones fuerint: adueniendi / audiendi altera L propria, ex quibus una in O ascita alteram corrector addidit. Denique accedit ineptissimarum lectionum multitudo, quae si L in versibus exstiterunt, multis eum corruptelis laborasse credamus necesse est (sed cf. p. 17). Ut II. 16 'Sin tibi id minus' id M ε, om. i, *in* O vet', III. 206 'leporem' Mi, *leporum* P[2] O vet', 208 'Haec (sc. responsio, immutatio, diiunctio, *ordo*) enim sunt' Mi, *He* O vet'. II. 233 'doceto sus, ut aiunt' sus i, suis Me, si uis m, *usus* O vet'. Si 'usus' in L scriptum erat, bene recensor cod. i emendavit 'sus'.

Similiter atque de his lectionibus allatis iudicandum est de aliis in O et P adnotatis. Ac primum mittamus quasi saburram illam lectionum qualis haec est pro 'tactu' II. 60: *cantu* P mrg. O s. s. al', quae nescio unde congestae nisi in margine codd. OP non reperiuntur. Neque enumerare tanti est, ubi quid in OP adscriptum a mutilorum classe alienum non est. Pluris hoc nostra interest complura in OP vitiose adscripta codd. quoque m propria esse: ut pro 'videto' II. 71 *uide* m P[2], 'iniqua' 210 *aequa* e P[2], 'praeciperet' 341: *praeceperat* e O[2] mrg. et, quod plurimum valet, verba in cod. e turpiter supposita et in OP deprehendi altera manu adiecta: II. 358 'His . formis atque corporibus sicut omnibus, quae sub aspectum veniunt, sede opus est'; post 'veniunt' sp. v. 3 litt. in HA relictum est, in e O[2] P[2] vero stulte addita sunt haec: 'memoria nostra admonetur (admouetur e) atque excitatur', pro 'sede' exstat 'sed locis' in e O[2] P[2]. Porro III. 200 'ut iis qui in armorum tractatione versantur': huc adiectum est: 'sic verbis quidem ad aptam compositionem et decentiam (re impositionem et condecentiam O[2] al'), sententiis vero ad gravitatem orationis utatur' e O[2] al' (cf. Frid. adn. cr. p. XLVIII). Denique *'etiam'* O[2] III. 175 falso pro 'eam', quod in i est, in M quoque legitur.

Numero multo his inferiores sunt emendationes aut L aut eorum ingenio debitae qui codd. OP correxerunt. Atque optime

correcta sunt haec: *'dedidisset'* O² I. 181 pro 'dedisset' i M=H, *'dicitur'* II. 36 pro 'dicit' Mi, *'deducantur'* P² II. 185 pro 'deducant' M, deducentur i, bene addita est praepositio 'in': II. 343 'aliae quae <in O²> ingenii. facultate (sc. positae sunt)' nec minus commode deletum est *'turbatio'* III. 182 quod in i irruerat (cf. p. 40). Alio loco ab ipso Gasparino Barziza verbum quoddam iure appositum esse constat: III. 87 — M desunt — 'Dies et <noctes> virum . . videbamus, philosopho cum operam daret' dies et i. dies et noctes *gasp.* s. s. al' O mrg., atdices P² mrg. Minoris pretii sunt haec eiusdem nomine tradita: III. 110 'ut praeteriri omnino fuerit satius quam attactum deseri'. attactum M, ac tantum λ i, ac tractatum O mrg. *gasp.*, attractatum P² mrg.; et in Enni versu III. 168:

'Nos sumus Romani, qui fuvimus ante Rudini'.

ruini O om. P, rutili e ε, rutuli P² O mrg. *gasp.*

Difficillimum est, ut breviter quae attulimus, comprehendam, de correctoribus codd. OP certi aliquid dicere, praesertim cum nos codd. ipsos inspicere singulorumque manus inter se secernere non potuerimus. Leguntur horum codd. in marginibus et complures adnotationes abiectae, plures numero quae et in codd. mutilis inveniuntur et utiles et ineptae, paucissimaeque quae et bonae sunt neque alibi exstent. — Atque omnes correctores ex L hausisse veri prorsus dissimile est, nisi forte suspicaris illi inter 1422 et 1425 lectiones variae originis adscriptas esse.

Neque vero fieri potest, ut pro certo habeamus codd. quosdam mutilos in corrigendo assumptos esse, quia correctores nonnulla menda codd. mutilis peculiaria adnotarunt.*) Mutilorum enim varietas in integrae familiae cod. quodam qui ascitus sit, ascripta esse potest. Certe et hac re ostenditur ne L quidem reperto codd. mutilos omnino neglectos esse. Ex altera parte lectiones et pessimae et egregiae, quae non nisi in marginibus codd. OP inveniuntur, incertum est utrum ex codice quodam delibatae sint an ipsis correctoribus debeantur. Cum quaedam ex libro quo Barziza uti solitus sit recepta esse ex notis

*) Et in Oratore mutilorum varietas in OP saepius adnotata est (Heerdegen, proll. p. XVI. squ., Reis, diss. Arg. XII p. 26).

gasp. perspiciatur, magna ex parte forsan haec lectionum quasi lanx satura ex hoc similibusque doctorum mss. mutuata est. Utut res se habet, neque ex his annotationibus multae neque ex eis quae nota *vet'* signatae sunt ad verba scriptoris restituenda aptae sunt.

Iam respiciamus ad ea quae posuimus. Cod. i non totum profluxisse vidimus ex L fonte limpido, sed a doctis hominibus ex complurium librorum auctoritate confectum suoque arbitrio emendatum, non descriptum a scriba stupido et inlitterato editionis paene huius aevi similiorem esse quam manu scriptorum antiquissimorum. Tamen Fridericus et Wilkinsius (cf. ed. 1892 p. 69) erraverunt, quod M fere solos duces sequendum esse statuerunt. Nonne praeter illas partes in M prorsus pessumdatas multas lacunas minores recte in i expletas esse omnibus constat? Nonne, ut unum afferam, illa praepositio 'a', quam ex coniectura Reidium adiecisse Wilkinsius memorat II. 199 'ad Q. Caepionis odium, <a> quo erant . . . abalienati', fere tantummodo in i tradita est? Nonne in discrimine versamur, ne coniectando multifariam desudemus, cum verum in i servatum sit?

Ergo, ne in reiciendo i acquiescentes otiosorum oscitantiumque instar simus, ea quae in i praebentur quatenus quidem a Friderico adnotata sunt, tanquam ad obrussam exigamus atque efficere tentemus, ut veras lectiones et antiquas a speciosis et fucatis aut quasi aurum purgatum a scoriis segregemus.

Caput II.

De verbis spuriis aut dubiis.

Difficillima quaestio oboritur de verbis innumerabilibus quae in M omissa in i inveniuntur. Rectene in M praetermissa sunt an incuria librariorum? Doctisne Italis debentur supplementa cod. i an ex L prompta sunt? Valde dissentiunt inter se editores. Atque Friderici editionem pervolvens ratiocineris Barzizam eiusque gregales Tullii verba nequissime glossis deformasse. Planene autem eiusdem verbis diffidendum est

qui quomodo hos libros ante L repertum ediderit ita exponit: „Omnia quae potui antiquiora librorum exemplaria collegi; quod ex uno quoque verius videbatur, attentissime in hunc nostrum transtuli. Quae ambigua erant aut propter librariorum incuriam aut propter vetustatem interpretatus fui. . . . Quaedam etiam cum deficerent, supplevi non ut in versum cum textu Ciceronis ponerentur, esset enim temerarium nec ab homine docto ferendum sed ut ea in margine posita commentariorum locum tenerent.“ (Sabbadini, riv. di fil. XVI. 104.)? Ne obliviscamur Vahleni viri perspicacissimi monentis (op. acad. II. 311), ne praepropere suspicio falsi arripiatur. Immo „attento examine discernamus, utrum addendo peccatum sit an omittendo“, ne aut quid recte traditum repudiemus aut fallamur glossa blanda. Neque vero fieri potest, ut nos aut omnes aut plerosque locos tractemus, sed paucis allatis indicabimus, quae ratio exercenda nobis esse videatur.

De mutilorum omissionibus plurima collegerunt Adlerus (progr. schol. Hall. 1869) et Stroebelius (act. phil. Erlang. III, p. 6 sqq).

1.

Locis nonnullis archetypus M videtur ita madore corrosus aut aliter mulcatus esse, ut litterae quaedam recognosci non possent. Ubi subinde in M quibusdam aut spatium vacuum relictum aut signum ◡ positum est (cf. Stroeb. p. 21), ut quaedam excidisse perspicuum esset. In H potissimum huiuscemodi spatia vacua inveniuntur. Quae quamquam aut maiora aut minora esse perspexeris quam verba ab i suppleta, tamen ideo haec cedere non iusseris. Nam M ipsi plus semel de spatiorum amplitudine inter se discrepant. Sed lacunae in M designatae si in i ex sententia expletae sunt, summopere probabile est supplementa ex L petita esse. Itaque recipienda esse velut haec in M omissa, quae uncinis (<>) circumdedimus, vix quisquam negavit: II. 138 ‘hominis aut digni*tas* <aut indigni*tas*>’ H sp. v. 3 litt., E lac. sign., 201 *si* iusto <*si* pio> dolore’ H sp. v. 20 litt., 201 ‘his dua*bus* <parti*bus*> orationis, quarum altera’ H 12

litt. sp. v. post 'orationis', 209 'interior <est ille proprius; sed> hic' 31 litt. sp. H, corr. sign. E, 218 'est <totum> hoc reisum movere' 14/15 litt. sp. v. H, corr. sign. E, 231 'totum genus <hoc iocandi quale> sit' 2 vers. sp. v. interp. H, idem fere sp. A, corr. sign. E, 298 'Caesar <inquit> quid <intellegam sed>' 5 litt. sp. H; sp. parv. H, 302 'et vim in ingenio et <pondus in> vita' falso in H 10 litt., AE 8 litt. sp. post 'vita' vacat, non post 'et'. 149 'ut viris <haec unast>. Inter' haec magna sunt i, haec unast coni. Stangl. (Tull. 23). Hic quoque scribae errore spatium patet post 'inter', non post 'viris'. Atque ex sententiarum nexu apparet hoc loco — id quod in alia lacuna signata, quod sciam, non accidit — expellenda esse quae in i expleta sunt. Aut L ipse quoque hic detritus erat aut litterae quaedam non recte a Mediolanensibus recognitae sunt. De II. 367 ubi aliter sentio ac Stanglius infra (p. 84 sqq.) accuratius disseram.

Ceterum quod saepenumero in M spatia hiant, ubi nihil desideratur neque in i quicquam est additum, ne hoc quidem hili faciendum est. Ut II. 294 'possum (4 litt.) mi (10 litt. H, 6 l. AE) pro meo iure', ubi librarii non intellexisse videntur scripturam obsoletiorem 'mi' pro 'mihi' ut 'nil' loco 'nihil' usurpatam esse (cf. Stangl, Tull. p. 54), aut III. 189 'quidem (4 litt.) ca (6 litt.)' quo loco scripturae compendium cã i. e. causa solvere non sciebant.

2.

In M „creberrime deprehenduntur omissiones et singulorum verborum et coniunctorum maximam partem propter homoeoteleuta effectae" (Stroeb. p. 6). Litteris quoque similibus frequenter librariorum oculi decepti sunt.

Ita detracta esse constat:

II. 342 'extulis*se* <*se*>', 344 'quos *laudamus* <quam illos apud quos *laudamus*>', ubi versus totus ca. 20 litterarum aut duo versiculi 10 litt. neglegentia praetermissi sunt si quidem scripturae compendia respicimus. In M archetypo autem notas quasdam in usu fuisse apertum est, cum nonnullae in omnibus apographis servatae sint ut III. 189 'causa' ca M et sp. v. 6 litt., quanquam nihil desideratur sicut III. 167 ornam̃ H (3 litt. sp.)

ALg. 32 pro 'ornamentum', 195 *qm̄* audacius pro 'quonam'; L. 171 pro 'Lucilius'; 'aut' eodem signo ā scriptum fuisse quod in codd. mutilis auct. ad Her. saepius servatum est (cf. Marx, proll. p. 26) ex his lectionibus colligo: II. 67 'aut' an M, II. 129 'aut animi permotione' ab an. p. M aut corr. HE I. 126 'a natura' aut natura H.*) II. 365 'ita <ista>'. III. 129 '<et> ut'.

Atque toties in M hoc modo oratio truncata est, ut audacius quam consideratius sit interpolata increpare supplementa cod. i, si sana videntur atque adferri potest, quare in M perierint.

Quam ob rem haec in M praetermissa quam in i subdita esse probabilius est, de quibus adhuc sub iudice lis est:

II. 202 'qui timor, quae dubit*atio* <quanta haesit*atio*> tractusque verborum'. 199 'Sic et eorum dolorem, qui lugebant suos, oratione refricabam et animos equitum Romanorum, apud quos tum iudices causa agebatur, ad Q. Caepionis odium a quo erant ipsi propter iudicia abalienati, renovabam <atque revocabam>'. E reuocabant HA renovabam; Ellendtius, Sorofius, Fridericus, Wilkinsius, Harneckerus, Stanglius aut 'renovabam' aut 'revocabam' recipere satius esse duxerunt suspicati eandem voculam scribae errore duplicatam esse. Sed aut non viderunt aut silentio dissimulaverunt altero verbo exstincto clausulam heroicam exoriri, quae quanquam in his libris non deest (cf. p. 72 squ.) tamen evitari solet. Ergo mutilos secuti labimur, sed 'renovabam atque revocabam' inter se coniuncta ita vitium non habent — etenim ex 'renovare' eadem praepositio 'ad' pendet de inv. II. 49, Pis. 89, dom. 10—, ut cum 'traduxi et converti' brevi ante (199) similiter copulatis optime conveniant (cf. Pid. ad III. 20). Nam ornatius et exquisitius Antonium hic eloqui manifestum est. Utraque autem voce posita clausulam illam

---

*) Inde intelligi existimo, qua via 'aut' II. 227 in M irruerit: 'urbana innumerabilia [aut] ex una contione meministis'. Nam cum ut opinor vocis 'innumerabilia' extrema littera errore geminata esset, alteram a scriba perperam pro 'aut' particula esse putavit, quae hic inutilissima est neque in i exstat. Nullius autem fidei est 'vel', quod ab Ellendtio emendatum editores quidam pro 'aut' receperunt.

inclutam — ∪ ∪∪ — — petimus. Numeri causa similiter 'renovare' cum 'confirmare' mixtum est: or. p. red. ad Quir. 19: 'animo . . . confirmato atque renovato'. 299 'quom ille quaesisset quidnam illa ars efficere posset, dixisse illum doctorem, ut omnia meminiss*et*, <*et*> ei Themistoclem respondisse'. III. 10 'positum caput illud fuit, a quo erant multor*um* <civi*um*> capita servata'. Ellendtius 'civium' deleto oppositionem longe fortiorem fieri censuit, sed simul tollitur parechesis quae hodie allitteratio dicitur. Neque illis supplementis magis haec mihi suspecta videntur quae pluribus tractabo:

II. 21 'Omnia ista, inquit Crassus, ego alio modo interpretor, qui primum palaestram et sedis et porticus etiam ipsos, Catule, Graecos exercit*ationis* <*et delectationis*> causa, <*non disputationis*> invenisse arbitror. Nam et saeculis multis ante gymnasia inventa sunt quam in iis philosophi garrire coeperunt, et...' et delectationis om. M, Lg. m, non disputationis om. M, Lg. m et int.

Causam verba 'et delectationis' inferciendi fuisse Ellendtius censuit, quod deinde (II. 21) hoc sequitur: 'Ita levissimam delectationem gravissumae . . . utilitati anteponunt'. Itaque illa verba seclusit, id quidem non iure. Neque enim praetermissis illis Crassus hoc dicére potuit quemadmodum palaestram, ita etiam sedes et porticus corporis exercitandi causa inventa esse.

Ac ne voces quidem 'non disputationis' foras expellere licet, quippe quae permagni momenti sint. Enuntiato enim consequenti, quod incipit a 'nam', nihil aliud confirmatur nisi 'palaestram' e. q. s. institutam esse non philosophandi causa aut disputandi. Si autem deessent voces 'non disputationis', haec argumentatio hiaret: a Graecis gymnasia exercitationis et delectationis causa inventa sunt; ea sunt enim inventa priusquam in iis philosophi garrire coeperunt. — 'causa' autem interpositum est, ne sonus trium quae consequuntur vocularum in *tionis* cadentium absonum quiddam in aures deferret.

II. 34 'Quid plenius quam omni genere rerum cumulata oratio? Neque <*enim*> ulla non propria oratoris res est, quae quidem ornate dici graviterque debet.' enim om. M Lg. m.

Posteriore, quod attulimus, enuntiato non altera nova sen-

tentia interrogationi quae antecedit additur, sed eadem explicatur accuratius atque ita ut aliqua pars sententiae, sicuti haud raro fit (cf. Sor. ad II. 175), non dicatur. Tale enim subaudiendum est: potest autem cumulari oratio omni genere rerum, 'neque enim ulla non propria oratoris res est'. Nam ne putes me hariolari, inspice quaeso hoc (II. 175) 'quod autem argumentorum genus cuique causarum generi maxime conveniat, . . . est mediocris ingeni iudicare. Neque *enim* nunc id agimus, ut artem aliquam dicendi explicemus', quo loco tale sane ab auctore praetermissum est: „itaque haec omittam" (cf. Sor. ad l.). Post 'neque' excidit 'enim' in omnibus M et loco allato et II. 124, in H vero solo 175, et ante 'non' detractum est in M III. 173 certe propter compendiorum similitudinem (ñ N = nec enim; et ñ N = non enim). Haec enim compendia in archetypo M scripta fuisse ex his lectionibus colligo: III. 127 'nec' ñ H, et II. 99 'hoc *ei* . praecipiemus' enim M, III. 14 'ei' ii HA, N. (i. e. enim) E.

II. 121 'Quare illam partem superiorem . . non recusabo, quo minus perpoliam atque conficiam . .: quibus ex locis ad eas tris res, quae ad fidem faciendam solae valent, ducatur oratio, ut et concilientur animi et doceantur et moveantur; haec sunt enim tri*a*. <E*a*> vero quem ad modum illustrentur, praesto est, qui omnes docere possit.' 'haec'÷ tria' seclus. Kayser. 'Ea vero' i, Lg. int. multi, 'vero' M, 'nec' aut 'haec' Lg. m. Non satis caute docti quidam et alioquin verba, de quibus M cum i conveniunt, loco moverunt neque probabilibus argumentis allatis ut „puerile emblema" hic 'haec sunt enim tria'. Quibus verbis adiectis id contingit, ut conciliando, docendo, movendo vis indatur atque momentum neque totum enuntiatum cadat in pessimam clausulam heroicam. Atque cum non habeamus cur spuria haec ducamus, pronomine 'ea' opus est, ne a 'vero' sententia consequens incipiatur.

Miram rationem Fridericus secutus est, qui 'sunt enim tria' expulit foras coniunxitque 'haec vero'.

II. 150 'Ars demonstrat tantum ubi quaeras atque ubi sit illud quod studeas invenire; reliqua <vero om. M> sunt in cura attentione animi cogitatione vigilantia . ., complectar uno verbo

quo saepe iam sum usus, diligentia, qua una <*virtute omnes*> *vir*tutes reliquae continentur'. virtute omnes om. M Lg. m.

Cum antitheton 'qua una virtute omnes virtutes reliquae', cuius singula verba inter se opponuntur, similitudinem quandam habeat illius: 'una ex tribus his rebus res' (II. 310 cf. Sor.), non est, cur bonos hic fideiussores M iudicemus.

II. 203 'Neque haec solum in defensione sed etiam in Scauro ceterisque meis testibus, quorum <*tu*> *te*stimonia non refellendo sed ad eundem impetum populi confugiendo refutasti.' tu OP Lg. 81. 84, edd. Ald. Iunt. Lamb.

Sorofius (ad II. 88) adnotavit Ciceronem pronomina personalia aliis apponere pervelle, ut gravitas sermonis augeretur, non quia sententia postulatur ut II. 88 'hunc ego, Catule, Sulpicium', 95 'quos ego audivi', 131 'Nam si tu mihi', 138 'haec ego non eo consilio disputo', 155 'ego hoc ex iis saepe audivi', e. a. m. Itaque cum summo ardore Sulpicius haec dicat, in reprehensionem via ac ratio nostra incurreret, si 'tu' deleremus. Idem cadere puto in 365, ubi legendum est: 'quid mihi <*tu* om. M, Lg. 4. 13. 32. 36> *t*andem hodie . . reliquisti?'

III. 185 'et si numerosum est <*id*> *in* omnibus sonis atque vocibus quod habet quasdam impressiones'. 'id' eicere dubito. Pronomina enim determinativa quae in i ad arbitrium inferta sunt, ante ipsa relativa posita esse solent ad quae spectant.

Nonnunquam qua de causa manca oratio in M nata sit, tum demum cognoverimus, cum cogitarimus fieri posse, ut ordo verborum in i, ut crebrius accidisse iam strictim adnotavimus (p. 18 sq.), perversus sit. Ut III. 137 'instructi*or* <tradit*ur*> fuisse', ubi falso in i 'traditur' post 'fuisse' transpositum est.

3.

Distinguentes vera a falsis valde adiuvamur a codd. m, quibus ut emendatis auctoritatem et fidem textus restituendi, vix ullam inesse dici solet cum eorum plerosque ut cod. e ex A transscriptos esse constet (Stroebel, diss. p. 54, 58, Burs. 80. 186, Frid. adn. cr. p. VI.). Tamen eos in aliquo pretio habeo ac

doleo non diligentius collatos esse.*) Nunc et Friderici apparatum difficilem et Ellendtii copiosum nec tamen sufficientem iterum atque iterum pervolvere perquam laboriosum est.

Accidit enim — id quod interdum editores fefellisse videtur —, ut verba, quae in M omissa non sine aliqua veritatis specie in i adiecta videntur, inveniantur et in m. Quid? credamus iam s. XIV quaedam ex codice quodam integro prompta esse? At partes huius scripti quae nunc in m desunt expletae essent. Immo haec verba mero ingenio doctorum s. XIV debita aut L reperto confirmata aut a librario libri i ex m delibata sunt L spreto.

Atque etiamsi in m nonnullis locis in M corruptis vera medela inventa est, tamen „facilius profecto est vocabula singula emendare quam locum explere lacunosum“ (Marx, proll. p. 45). Hic ergo eo maiore cautione opus est, quo plura verba suppleta sunt.

Spuria igitur haec esse facile cognoscitur: II. 118 ‘quos quidem locos . . multa commentatione [atque meditatione i Lg. omnes] paratos atque expeditos habere debetis’. ‘atq. medit’. quod secundum Ellendtium et in Lg. m exstat, ideo subditum esse mihi videtur, ut ‘commentatione’ explicaretur. 367 ‘Omnes se vel statim vel si ipse post [meridiem e i] mallet, quam primum tamen audire velle dixerunt’. Inculcatum est ‘meridiem’, quoniam ante legebatur: ‘post meridiem . . loquemur’. 25. ‘C. Lucilius . . . dicere solebat [ea quae scriberet] neque <se om. i> ab indoctissimis neque a doctissimis legi velle . . de [se i] quo (i. e. de qua re) etiam scripsit . .’ Quae in M servantur ‘dicere solebat . . se . . legi velle’ confirmatur collato e. g. 45 ‘dixit: . . . se vinci posse animo aequo pati’, ubi ‘se’ ad duos infinitivos et ‘posse pati’ et ‘vinci’ spectat. Sed ut legitima constructio accusativi cum infinitivo restitueretur, in Lg. m emendatum est: ‘[ea quae scr.] . . . *se* legi velle’. ‘Legor’ loco ‘leguntur scripta mea’ similiter usurpatur: de fin. I. 8 ‘Quibus ego assentior, dum modo de isdem rebus ne Graecos

---

*) Lg. 32 ab homine docto Spyridone Vassis editus est (Ἀθηνᾶ 1889, p. 433 squ.).

quidem legendos putent'. Tusc. III. 3 'poetae qui . . . audiuntur, leguntur, ediscuntur'. Ov. tr. V. 14.5:

'Dumque legar, mecum pariter tua fama legetur.
Nec potes in maestos omnis abire rogos'.

Tum 'se' priore loco a Mediolanensibus in i deletum post 'de' in verborum contextum irruit.

At recte docti s. XIV orationem pusillo naevo infectam sanaverunt

II. 89 'Vidi statim indolem neque dimisi tempus et *eum* <*sum*> cohortatus, ut . .' cohortatus sum e, sum cohortatus i, quod verius est, quia facilius intellegitur post 'eum' voculam 'sum' propter homoeoteleuton detractam esse.

Patronus esse scripturae non solum ab i, sed etiam a m commendatae ne hic quidem dubito: II. 47 'Non enim, si est facilius, eo de numero quoque <*est*> excerpendum'. Nam et 'est' sicut 'et' praepositione 'ex' sequente passim excidit, et oratio inlepida neque venusta fit hac vocula exstincta.

Plura afferre insuper habeo. Qui postea hos libros maioribus subsidiis editurus est, recognitis codd. m saepe litem codd. discrepantia motam tollet intellegetque Barzizam sua quidem multo rarius quam creditum est addidisse, neque vero nunquam nimis confisum elegantiae allectanti scripturarum vel emendationum, quas in m invenit, L nauci fecisse.

4.

Aliis locis quibus qua re in M archetypo oculi scribae abducti sint, non satis clarum est, sententiae vis ac condicio cogitationumque tenor plerumque iudicium fecerit. E. g. ab omnibus ex auctoritate cod. i revocata sunt:

II. 86 'hominis est, ut tu Catule de quodam clamatore dixisti, stult <itiae suae quam plurimos testes om. M> domestico praeconio colligentis'.

Sed haec quoque dubitationi obnoxia ex i nostro iure restituisse nobis videmur:

II. 34 'Qui enim cantus moderata orationis <*pronuntiatione*> dulcior inveniri potest? quod carmen artificiosa

verborum conclusione aptius?' moderata oratione M pronuntiatione om. M plerique Lg., moderate orationis pronuntiatione i.

Antonius deinde laudibus ornatur quam maximis, quod vim oratoris hic cum subtiliter expresserit, tum laudarit copiosissime (§ 39). Ac profecto quibus luminibus verborum orationem inlustret quibusque sententiarum insignibus exornet, admirabile est (cf. Pid. a. 1.). Quare monendum est, ne 'pronuntiatione' deleatur, qua voce exstincta concinnitas ipsa quoque verborum tollitur. Ad verbum enim inter se respondent 'qui cantus moderata orationis pronuntiatione dulcior' et 'quod carmen artificiosa verborum conclusione aptius', id quod consilio ac mente factum esse nemo negabit. Accedit, quod qui M secuti sunt, non satis intellexisse videntur, quid vere significaretur 'oratione moderata'. Nam quod Sorofius vertit in linguam vernaculam: „wo oratorischer Rhythmus und der Wohllaut concinner Satzbildung herrscht", haec vis nescio ubi inveniatur. Immo, si Ciceronem ipsum sequimur ducem, oratio moderata productiori opposita verbis non 'immoderatius excurrit' (cf. Sandys. ad or. 178). Quo modo ergo 'moderata oratio' cum cantu potest conferri?

Sed vocis moderatio — id quod nos reddimus „Modulation" — in loco hic est, quod vocabulum 'conclusioni verborum' et alioquin opponitur (III. 174); eodemque modo atque hic dicitur: 'lingua et spiritus et vocis sonus est ipse moderandus' (III. 40; cf. I. 18).

In verbis 'pronuntiatio orationis' nihil miri mihi videtur esse, cum legatur I. 261 'versus multos . . pronuntiare', I. 88 'multa ex orationibus Demostheni praeclare scripta pronuntians', II. 79 'inventa . . . agere ac pronuntiare' (cf. Sor. ad II. 131).

Proclivi autem errore librarius 'moderate' posuit pro 'moderatae' (cf. p. 55).

II. 118 'Nam et pro tabulis et contra tabulas <*et*> pro testibus et contra testis <*et*> pro quaestionibus et contra quaestiones et item de ceteris rebus eiusdem generis . . dicere solemus'.

'et' prius om. M, nec tamen i Lg. m et int. plerique, 'et' alterum om. H^1.

Servetur 'et' alterum necesse est, cum nisi in H^1 non desit; sin autem hoc comprobavimus, concinnitate postulatur, ut concedamus prius quoque 'et' in i et Lg. m, int. recte additum esse.

II. 160 'ille (sc. Aristoteles) eadem acie mentis, qua rerum omnium vim naturamque viderat, haec quoque aspexit quae ad dicendi artem, quam ille despiciebat, pertinebant; illi autem (sc. rhetores) qui hoc solum colendum <*ducebant*>, habitarunt in hac una ratione tractanda non eadem prudentia qua ille, . .'

colendum ducebant i Lg. int., colebant M Lg. m, celebrabant E^1.

Pronomen 'hoc (solum)' ad 'dicendi' referendum est, non ad 'studium nostrum', quod aliquanto ante exstat. 'solum colendum' autem, ut Pideritus coniecit, idem valere atque 'agrum colendum' ideo veri dissimile est, quia vocula quaedam circumscribens atque moderans ut 'tantum, solum' exspectatur. Opponuntur enim rhetores illi, qui dicendi artem unam tractant, Aristoteli universas litteras animo comprehendenti. Si autem illi artem dicendi solam ipsi per se coluissent, non multum peccassent, sed philosophiam aliasque disciplinas despicientes discipulis quoque unam eloquentiam colendam iudicabant (cf. Pid. a. l.). Itaque 'colendum ducebant' praeferendum est.

II. 163 'Quid enim est in quo haereat qui viderit omne, quod sumatur in oratione aut <*ad*> probandum aut <*ad*> refellendum, aut ex sua sumi vi atque natura aut adsumi foris?'

ad om. bis M Lg. m. — Quae foris in oratione adsumuntur ut tabulae, pacta, leges (cf. II. 116) aut in ipsa causa collocata sunt, ab oratore sumuntur, non ut ipsa aut probentur aut refellantur, sed ut tota argumentatio comprobetur. Itaque fieri non potest, ut altero loco 'ad' desit. Conferenda sunt haec: II. 116 'Ad probandum autem duplex est oratori subiecta materies', Brut. 303 'nec praetermittebat fere quicquam, quod esset in causa aut ad confirmandum aut ad refellendum'.

Praepositionem 'ad' compendio (ã) in archetypo scriptam fuisse inde effici potest quod cum aliae praepositiones in M integrae relinqui soleant, scribitur in E II. 69 'ammiratio', 83 'ammonent'. Hoc compendium, de quo Marxius proll. p. 30 plura attulit, antecedente ā i. e. aut (cf. p. 28) facile detrahi poterat.

II. 182 'Valet igitur multum ad vincendum probari mores et instituta <*et facta et vitam*> <et> eorum qui agent causas, et eorum pro quibus, et item improbari adversariorum'.

et facta et vitam om. M nec tamen Lg. m, et (ante 'eorum qui agent') add. i, Lg. int. multi.

Non satis esse probare mores tantum institutaque eorum, pro quibus agitur, cum per se elucet tum optimo iure Pideritus ostendit respondere inter se 'mores et instituta et facta et vitam' atque verba eiusdem paragraphi: 'conciliantur autem animi dignitate hominis rebus gestis existumatione vitae'. — Vocula 'et' (eorum q. ag.) bene apponitur priori voci 'eorum', ut clarum sit duos casus genitivos pendere ex 'mores' e. q. s., quo facilius sententia satis producta perspiciatur.

182 'eaque omnia quae proborum, demissorum, non acrium, non pertinacium, non litigiosorum, non acerborum sunt, valde benivolentiam conciliant abalienantque ab iis in quibus haec <*non*> sunt'. non om. M plerique Lg.

Fridericus (Fleck. Jhrb. 1887. 83) 'haec' ad 'acrium, pertinacium, litigiosorum, acerborum' solum referri posse autumans, quibus vocabulis mali mores describuntur, 'non' uncinis saepsit. At voculam 'haec' ad 'proborum', quod ad bonam naturam pertinet, eodem modo referendam esse non minus apertum est quam 'non acrium' e. q. s. in unam atque eandem vim ac notionem coire.

II. 197 'Quamquam te quidem quid hoc doceam, qui in accusando sodali <*et quaestore*> meo tantum incendium . . concitaras . .?'

et quaestore om. M Lg. fere omnes.

Verba 'et quaestore' mea quidem sententia hic desiderantur, quoniam, Norbani etsi iam mentio facta est, tamen non audivimus, unde haec inter Antonium eumque sodalitas orta sit. Cum vero nomen sodalis ambiguum sit, nos Tulliique aequales his verbis deletis nescimus, quo modo hi familiaritate coniuncti sint. Melius autem est nos hic iam quam postea (§ 202) doceri.

His locis de quibus egimus explicando ad verum nos pervenire posse putavimus. Sed sunt alii, ubi utraque classis

ita fluctuat, ut in neutram partem argumentis probabilibus disputari possit. Hic ut aequi iudices simus, opus est ante contemplemur cuiusmodi verba ex libidine Mediolanensium in i supposita esse aut certum aut veri simillimum sit.

5.

Primum insertae sunt frequentius *particulae* et *coniunctiones* doctorum ex voluntate orationem iucundiorem, magis perspicuam legentibusque acceptam faciendi. Veluti

II. 34 'Quid autem suptilius quam crebrae acutaeque sententiae? quid [autem] admirabilius quam res splendore inlustrata verborum?' Qui hunc locum ornatissimum perlegerit, bis ternas interrogationes continuari animadverterit, quarum primae tantummodo coniunctio addita est, non ceteris, itaque 'autem' alterum delendum est. 90 'Tum accedat exercitatio qua illum quem delegerit imitando effingat atque [ita] exprimat, non [ita] ut multos imitatores saepe cognovi, qui . . .' Prius 'ita' spurium esse constat; sed et alterum movendum esse mihi videtur, quod ut sententia facilior esset intellectu, suppositum esse suspicor. Valde enim suspiciosum est pro simplici 'ut' aut 'sicut' aut 'ita ut' scribi in i et hisce locis: II. 57 'Thucydidem est, *ut* mihi videtur, imitatus'. *sic*ut i, et 187 'Si se dant et, *ut* ante dixi, . . inclinant' *ita* ut i. Superscriptum 'ita' bis in textum videtur invasisse.— Alia particula ad idem 'ut' appositum est: 144 'sed, ut ipsi soleo dicere, non licebit' ut [enim] ipse i. 328 'et est probabilius, quod gestum esse dicas . . . et multo apertius ad intellegendum est, si [sic] constituitur aliquando ac non ista brevitate percurritur'. Verba 'si constituitur' (cf. Pid. a. 1.) non spectant ad antecedentia. III. 178 'Incolumitatis [etiam] ac salutis omnium causa videmus hunc statum esse huius totius mundi', ubi ad novam rem percurritur. II. 161 'Sed hoc maius est quiddam quam [ut] ab his . . postulandum sit'. Cf. Verr. IV. 76 'quidquid erat oneris in nautis remigibusque exigendis . . . Segestanis praeter ceteros imponebat aliquanto amplius *quam* ferre possent' (Kuehner, Lat. Gram.[1] II, p. 857). II. 350 'et quod mihi nihil aut [quod] non multum relinquis'. 307 'ut concludamus atque [ut] ita peroremus'.

Coniunctio 'et' praeter ceteras inculcata est: II. 159 'oratio multitudinis est auribus accommodanda [et] ad oblectandos animos [et] ad impellendos, ad ea probanda quae . . .' 'et' si Ciceronis esset utroque loco, etiam ante 'ad ea probanda' hanc coniunctionem scriptam esse oporteret. III. 199 'Sed si etiam habitum orationis et quasi colorem aliquem requiritis, est et plena quaedam, sed tamen teres; et tenuis, [et] non sine nervis ac viribus'. Id dici videlicet orationem quamvis tenuem tamen non sine nervis esse. 205 'purgatio conciliatio laesio [et] optatio atque exsecratio'.

Porro *praepositiones* perperam inditae sunt: III. 141 'versumque quendam [de] Philocteta' pro 'Philoctetae' (cf. p. 20). III. 65 'hanc [ab] iis habeo gratiam', II. 34 'qui actor [in] imitanda quam orator [in] suscipienda veritate iucundior?' quod refellitur collato III. 214 'oratores qui sunt veritatis ipsius actores, . . . imitatores autem veritatis histriones'; 175 'res una quae magis oratorem ab imperito dicendi [ab] ignaroque distinguat'. Cum 'imperito dicendi ignaroque' idem fere significetur, praepositio servanda non est. Idem cadit in II. 289 'quae sunt in re et [in] ipsa sententia'. III. 220 'supplosio pedis in contentionibus aut incipiendis aut [in] finiendis'.

Sed aliis locis rectissime praepositiones in i adiectae sunt quae desunt in M:

III. 9 '<cum> illo . . conlocuti sunt', 3 'neque vero esse mirandum si . . . consilium senatus <a> re publica repudiaret'. Itaque summa in hac re cautione ac diligentia opus est. —

Nonnumquam docti corruptis locis ut quaedam interpolarent moti sunt:

ut II. 226 'An iuri civili? (sc. studere)' iure M, praepositione autem subdita '*in* iure' i. 146 'Ea vi sua verba parient'; ut 'rapiant' corrupte scriptum pro 'parient' probaretur, interiecerunt: 'ui [ut] sua verba rapiant' i.

Deinde *pronomina* ut falsa his locis reicienda sunt: III. 212 '[id] deceat' (cf. p. 20). II. 367 'post meridiem . . loquemur aliquid, nisi forte [me] in crastinum differre mavoltis' falso, quia 'aliquid' ad 'differre' subaudiendum est. 203 'ut illam non Norbani seditionem sed [illam] populi Romani iracundiam . . . fuisse

defenderes'. 305 'In quo ego non quo libenter male audiam, sed quia [ego] causam non libenter relinquo'. Priore loco 'ego' interiectum est, ne concurrerent 'In quo non quo', repetitum molestum est. — Ut tritior constructio accusativi cum infinitivo loco solius infinitivi restitueretur (cf. p. 32), pronomina esse addita videntur:

II. 142 'Est enim . . pollicitus [se] ius civile . . . coacturum et . . . redacturum'. (cf. Kuehner-Stegmann Lat. Gram. II.[2] 700 squ). Fortasse defendi potest haec ipsa quoque lectio a M suppeditata: 202 'munisti ad te audiendum viam. Ecce autem quom [te] nihil aliud profecisse arbitrarer, . . . serpere. coepisti.' Quis profecisse dicatur, dubium non est, cum Sulpicius ante nisi de Antonio locutus sit de nullo.

III. 191 'Et si primi et postremi [illi] pedes sunt hac ratione servati, medii possunt latere'. Pedes intellegendi sunt, qui primi in unaquaque oratione sint, non antea commemorati.

Ubi simplicia pronomina sufficiunt, cumulantur: velut

II. 75 'quaerebant ab Hannibale quidnam [ille] ipse de illo philosopho iudicaret.'

296 'Idque memoria teneo, quom mihi sermo cum hoc [ipso] Crasso multis audientibus esset <de te> institutus'. 'ipse' hic supervacaneum est, quoniam Crasso alius nemo obicitur. Similiter haec:

353 'esse ferunt nuntiatum Simonidi ut prodiret; . . surrexisse illum [ipsum] prodisse vidisse neminem'. III. 128 'sed ex eo ipso (sc. Hippia) est coniectura facilis quantum sibi illi [ipsi] oratores . . adpetierint'.

Fortasse tu quaeres, lector splendidissime, cur docti haec pronomina iniecerint. Oratione ut legentibus magis perspicua fieret? Ausim respondere.

Barziza iique, qui textum novum et incognitum legere cupiebant, illi ipsi quoque qui s. XIV codd. mutilos emendarunt, lingua ea vernacula locuti sunt, cuius proprium esset articulos substantivis addi, praepositiones adhiberi loco casuum obliquorum, pronomina personalia singulis verborum formis adici. Illi igitur sermone et Latino et neolatino usi res linguae vernaculae proprias aut scientes aut inviti in Latinam transtulerunt. Ita

que accidit, ut scriberent 'versum de Philocteta', 'ego . . relinquo', 'postremi illi pedes' et notione pronominis 'ille' tanquam decolore facta pronomen 'ipse', ut illius vis nativa recuperaretur, addere coepissent.

Teneamus velim non omnes codd. discrepantias scribendi erroribus explicari, sed multas consuetudine scribarum loquendi. De qua re infra agemus (p. 54 sqq., cf. 63 sq.).

Denique *alia vocabula* quae in i exstant reicienda sunt; quorum etsi non omnia enumerabo, tamen non multa esse adnoto:

II. 307 'ut concludamus atque ita peroremus hoc dicendi [genus] natura ipsa praescribit'. „Semper 'dicendi genus' verba spectat, non argumenti inveniendi et ordinandi artem" (Ell. II. p. 324), immo coniungendum est 'dicendi natura'. 319 'in iis partibus ad quas [causas] dixi digredi saepe oportere'. 342 'non habent in se veram laudem quae deberi virtuti uni [laus] putatur.' deberi M dederit i. Ut lectores scirent, ad quam vocem 'quae' referenda esset, 'laus' infertum est. Simili modo 350 'neque ei . . . aliud . . . relinquam nisi ea quibus [rebus] haec exornentur.' Glossema hoc videtur: III. 182 'Longissimast igitur [turbatio] complexio verborum.' Unde ortum est in compluribus Lg. int. 'turbatio complexioque verborum.' 203 'et ab re [non longa] digressio' „a declinatione § 205 memorata male translatum huc" (Ell. a. l.). Illic enim legitur: (205) 'declinatio *brevis* a proposito *non* ut superior illa digressio.'

Hucusque disputavimus et collegimus, nunc respiciamus ad ea quae in i scripta abicienda putavimus, ut regulis quibusdam locis incertis aliqua cum probabilitate iudicemus: doctos enuntiata particulis et coniunctionibus conglutinare solitos esse, casibus substantivorum praepositiones adicere, pronomina acervare vidimus. In istis rebus cum valde de cod. i auctoritate dubitemus opus sit, nisi ea quae in i suppleta sunt sententia probantur et postulantur, M sequi malemus. Sed de aliis additionibus rationem aliquanto Friderico cautiorem exercendam esse ostendisse mihi videor et explicatis locis compluribus et percensis generibus certorum cod. i additamentorum. Multa autem glossemata, quae in i leguntur, ex codd. m in i iniecta esse cognovimus.

Caput III.

De omissionibus.

In i verba multo rarius praetermissa esse quam in M natura huius codicis atque origine explanata non miraberis: textus M classi traditus lacunis eo magis infectus est quo plura apographa sunt confecta. Librario autem cod. i duo certe exemplaria praesto erant eaque ex diversis archetypis ducta, ita ut alterius lacunae altero opitulante resarciri possent.

Versus igitur totos omissos perquam raro deprehenderis ut III. 188 ubi duae fere lineae nescio qua de causa exciderint ('ad persequendum ÷ ista') et in i et in Ellendtii cod. Vict. Monac.; complura detracta sunt et 175: 'vitium ÷ coniunctionem' in i; quae antecedunt 'si efficitur coniunctione verborum', tantummodo in O praetermissa in i sane non defuerunt.

Singula vero verba saepius desiderantur alia aliis de causis: Primum scriba homoeoteleutis deceptus est sicut II. 144 'a <vir*is*> bon*is*', 191 'israsci toti*ens* <dolere toti*ens*>', aut 333 '*suadere* <aliquid aut dis*suadere*>';

alia quae desunt mutilo quod ascitum est exemplari velut accepta videntur esse referenda. Velut II. 148 'diligentia inquam <quae> quom omnibus in rebus tum in causis defendendis. valet.' quae om. i, Lg. 2, 32, l. 155 'Atque ego <hoc> ex iis saepe audivi.' hoc om. i m (nec tamen e Lg. 32), 315 'Prima est enim quasi cognitio . . . orationis in principio quae<que> continuo . . allicere debet' que om. i Lg. m (Ell. auctore). Sed haec quoque in i omissa ex M recipere malo, quanquam quis an genuina sint dubitaverit.

II. 20 'num tandem aut locus hic non idoneus videtur, in quo porticus haec ipsa . . et palaestra . . . memoriam . . commovent? aut <num> importunum tempus? . . . . aut homines . . alieni . . ?' Cum tertia interrogatio particula 'num' instructa non sit, ne alteri quidem adderemus ex M auctoritate, nisi non modo in i deesset verum etiam in Lg. m.—29 'docebo vos, discipuli, <id> quod ipse non didici, quid . . . sentiam.' id M Lg. m, om. i e.

II. 80 'Iubent enim exordiri ita ut eum qui audiat benivolum.

faciamus...; deinde rem narrare <et> ita, ut veri similis narratio sit,’ ‘et’ cum Ell. auctore in Lg. quoque m absit, ut verum agnoscere consideratius est. In omnibus eiusmodi lectionibus editor qui melius m cognitos habebit, cavebit, ne fidem i praestet, si cum m conveniet. Namque si quaedam in M inventa in m omissa sunt, verisimillimum est, si quidem hi ex illis transscripti sunt, incuria ea neglecta esse.

Tum saepius in lectionibus duabus conglutinandis quaedam in i excidisse iam diximus (p. 19), itaque pauca hic addam: II. 202 in Mm exaratum est: ‘illa ipsa <causa om. M m>. Quom enim’, in i autem recte ante ‘Quom’ iniectum est ‘causa’, sed ‘ipsa’ neglegentia omissum. III. 178 ‘sol ut eam circum feratur’ in i post ‘ut’, quod in M legitur corruptum in ‘ad’, detractum est ‘eam’. 229 ‘Nihil enim . . . deesse <sentio>. Quo magis est tibi . . vigilandum.’ Cum ‘quo’ in i mutatum sit in ‘eoque’ — id quidem perperam, vix enim credi potest contrario pro ‘eoque’ positum esse ‘quo’ quod lectius est —, excidit ‘sentio’ quod praecedebat.

Hac quoque re observitanda munus ad verba scriptoris quam proxime accedendi sublevatur.

Deinde interdum singulis vocabulis praetermissis totam verborum constructionem perversam esse adnoto, id quod utrum consilio ac mente factum sit an librariis insciis plerumque vix diiudicandum est. Veluti II. 186 pro ‘adgredior <in> ancipiti causa . . ad animos iudicum pertractandos’ positum est in i ‘adgredior ancipitem causam’ praepositione ‘in’ omissa. Oratio ut magis legentibus aperta fieret, 140 ‘et prope <dicam> decantatas habere debeant’ in m et i ‘dicam’ extinctum videtur. Loco ‘<et> Cotta et Sulpicius expec*tat*’ mutatum est 26: ‘Cotta et Sulpicius expec*tant*.’

Postremo fieri potest ut compendio quodam scripturae non recte soluto erratum sit. Optime quidem explanari arbitror, cur ‘sunt’ interierit II. 94 ‘tamen omnes <sunt> in eodem . . . genere’, si in uno ex exemplaribus exstitisse suspicamur: ‘omnesš neque iniuria videtur Bakius addidisse ‘sunt’ III. 34—(M desunt) —: ‘Quodsi in nobis, qui assumus, tantae dissimilitudines <sunt om. C>, tam certae res cuiusque propriae et in ea varietate

fere melius a deteriore facultate magis quam genere distinguitur . . .' Neque alia de causa passim 'esse' i. e. ẽẽ (cf. III. 4 'esse ferebantur' Lamb. effereb. C) in i intercidisse censeo ut II. 365 'Neque . . quisquam copiosius . . visus est . . hodie <ẽẽ> versatus', idem requiritur, cum desit in i, 231 'Antonio dicenti nullam <esse> artem salis,' 246 'uni enim locum <esse> video', 271 'per mihi scitum videtur C. Publicium solitum <esse> dicere'. Itaque 'esse' ex H merito restituitur II. 17 'is ineptus <esse om. i> dicitur', ubi potest dubitari.

Numeri autem signo scribam deceptum esse mihi constat II. 294 '<Duo (i. e. II)> denique illa'. Alioquin 'que' eodem opinor modo deperiit ut II. 93 'breves sententiis<que> . . . abundantes'; 297 'pro quo quis<que> diceret'. Compendio autem 'que' scriptum fuisse in archetypo vel archetypis inde colligas, quod II. 83 pro 'omninoque' in i 'omnino. Cum' depictum est. Itaque II. 2 recte Stanglius ex λ recepit: 'studio doctrina<que>', ubi cum in i ε suppeditetur 'doctrina', vulgo ex Lg. int. datur 'et doctrina'.

Denique id afferre liceat 'aut' in i desiderari II. 76 '<aut> adulescentulos' (ā ad.), 303 '<aut> adversariorum', 215 '<aut> gravius', sane compendio neglecto. Namque sicut 'aut' nota ā in M archetypo scriptum esse vidimus (p. 28), eandem in L fuisse nescio an colligi possit ex I. 138 — M desunt —: 'personarum ac temporum' aut temporum i λ, a' temp. ε, 'et temp.' alii codd.

His locis aliisque consimilibus aliqua cum fide dici potest, quo de facto in i lacuna exorta sit, cum multifariam nihil certi afferatur. Ne vero nimis multas omissiones cod. i attribuamus, M glossarum quasi pondere onustos esse apparere moneo, quarum sane plurimas, ubi verba in archetypo perverse tradita essent, inculcatas esse magis scribarum saepe ineptis erroribus quam grammaticorum ratione Stroebelius ostendit (diss. p. 15 squ.). Ut paucis exemplis utar: II. 144 'tibi mecum in eodem est pistrino, Crasse, vivendum': et in Mm et in multis Lg. int. voce ignota 'pistrino' eiecta scriptum est 'pristino [instituto]'.

II. 78 'Dividunt. totam rem in duas partis, in causae controversiam et in quaestionis; appellant . . . quaestionem. rem

positam . . . in infinita dubitatione' infinitam [diuisionis] dubitatione M. 185 'ut . . . ad eos motus deducantur, si qui finitumi sunt et propinqui his ac talibus animi permotionibus'. Sed quia in M suppositum est 'et [de] propinquis his', Kayserus prorsus abesse voluit 'et — permotionibus', quae ratio critica nescio quo pacto apud Fridericum aliosque plausum meruerit. Eadem praepositio 'de' indita est in M: 110 'ut [de] referundis praeteritis verbis id scriptum . . . suppleatur.'

Voculam margini a nescio quo adscriptam inter scriptoris verba falso loco se insinuasse patet 331 'et infirmandis contrariis et tuis [alienis] confirmandis.' 'alienis' sane ad 'contrariis' explicandum adiectum est.

Itaque cum ne M quidem interpretamentis carere neminem fallat, hos quoque locos in M pessumdatos esse verbis appositis mihi persuasi, ubi editores quidam aut sagacitati morem gerere aut sententiam in omnibus libris depravatam reprehendere maluerunt quam lectiones cod. i libris mutilis praeferre.

Veluti si i sequeris, plane nihil est quod offensioni sit III. 201 'Formantur autem et verba et sententiae paene innumerabiliter, quod satis scio notum esse *vobis. Sed inter* conformationem verborum et sententiarum *hoc interest,* quod . . .' In M autem legitur 'vobis [inter quos] hoc interest sed inter' similiterque in m et transpositis verbis 'hoc interest' et 'inter quos' inditis. Quae cum non intellegantur, Fridericus statuit lacunam esse inter 'interest' et 'sed'. Sed hoc modo si iudicabimus, timeo, ne velut caeci in tenebris vacillantes non iam habeamus ubi consistamus. Immo concedamus in M inculcata esse verba 'inter quos' ordinemque verborum mutatum esse sicut II. 183 quo loco pro 'incitatione. Non enim semper fortis oratio' transpositum est in Mm: 'incit. enim semper fort. oratio Non'; aut II. *22* ubi restituendum est ex i 'otii fructus est non contentio animi, sed relaxatio' pro M 'contentio non animi' (Fridericus voluit 'animi non contentio'), aut *42* ubi pro 'in constituta re et definita' inversum est: 'constituta re et in definita', aut *232* 'Quis. haec non vel facile vel certe aliquo modo posset ediscere', ubi Fridericus 'vel' prius iniuria seclusit cum in M praecedat voculam 'non'.

Idem doctus plus aequo suspicatus est *III. 225* 'Itaque [et]

idem Gracchus . . . cum eburneola solitus est habere fistula qui staret occulte post ipsum', ubi 'et', cuius vocis auctores sunt Mm, ita defendit: „alterum exemplum Catuli interfatione in oblivionem ducitur". Haec vero minime arrident. Nam tam multa de illa Gracchi consuetudine referuntur, ut Crassum iam de altero exemplo cogitavisse non sit probabile.

Neque veri similius est quod eidem placuit: *II. 16* 'Equidem, inquit, Crasse, [et] ita sum cupidus in illa. te . . . disputatione audiendi, ut, si id mihi minus contingat, vel [ut] hoc sim cotidiano tuo sermone contentus.' et M = H om. i ε; uel ut hoc Hl, uel e, uel hoc i ε. Ait enim ille: „Pergere voluit: neque ita sum ineptus, ut te urgeam." Sed hac ratione Tullius non considerate explanatur, sed per vim sententia eius de manibus extorquetur. — Supervacaneum est alterum 'ut', quo verbo 'uel hoc' quae arte cohaerent seiungantur. *177* 'si quoi quid simile dicas, prius ut simile [dicas] confirmes, deinde quod agitur adiungas.' Ferendum non est quod Fridericus comprobavit 'si . quid simile dicas, prius ut simile dicas', sed 'ut simile dicas' coniungenda sunt. *172.* Sententia quam sanam esse Fridericus negavit (cf. Burs. Jhrsber. 80. 216 Stroebel) iam a Stanglio aliisque ex i correcta est: 'Est eiusdem et eripere [et] contra rem publicam et largiri pecunias.' Non potest fieri, ut 'et' ante 'largiri' positum reiciatur, quippe de quo M cum i consonent, itaque alterum 'et' (contra rem publicam) M solis poprium repellamus opus est. *72* 'Quom. docendus is (sc. rei dominus) est aut . . ad causam oratione moderandus, in quo saepe benivolentia ad odium, odium autem ad benivolentiam deducendum est, qui [ut] tanquam machinatione aliqua . ad severitatem . . est contorquendus.' qui ut M, sive 'ut' sive 'qui' m, ut i. Doctis Madvigium secutis pro 'qui ut' in M archetypo '(est) aut tanquam' fuisse visum est, qua particula 'moderandus' cum 'contorquendus' coniungeretur interpositis verbis 'in quo ÷ deducendum est' in modum parentheseos. Quae coniectura neque audacia caret neque rationem habet huius enuntiati, cuius membra 'in quibus . . iudicatur; ubi adest . .; ubi . . alienus . . est; quom aut docendus . est . . .; in quo . . deducendum est; *qui* . . est contorquendus' omnia ἀσυνδέτως inter se cohaerere facile videris. Itaque 'qui' ex M i recipiendum esse censeo, repellen-

dum autem codd. M 'ut' sicut vocis consequentis 'tanquam' interpretamentum. *38* 'Neque enim *si* de rusticis rebus agricola quispiam aut etiam, id quod multi, medicus de morbis aut [si M Lg. m] de pingendo pictor aliquis scripserit aut dixerit, idcirco illius artis putandast eloquentia'. Cum Ellendtio alterum 'si' tollendum puto, cum verba 'dixerit aut scripserit' ad tria nomina 'agricola, medicus, pictor' pertineant, 'si' autem in M primo tantummodo et tertio appositum sit, non alteri, id quod evitari solet. Alioquin autem in i particulas superfluas addi solere supra diximus (p. 37 squ.), hic omissam esse particulam 'si' ex L auctoritate concedemus.

48 'Nam et testimonium saepe dicendum est ac nonnunquam *etiam* accuratius, ut mihi [etiam] necesse fuit in Sex. Titium.' Prius 'etiam' in loco est, cum accuratius testimonia semper dicenda non sint, alterum autem in i omissum molestum est, quod quid sibi velit nescio (cf. Stangl, Tull. p. 21). Errore, opinor, Fridericus in apparatu critico indicavit prius 'etiam' in i deficere, non alterum.

III. 133 'Manilium nos etiam vidimus travorso ambulantem foro, quod erat insigne eum qui id faceret facere civibus [suis] omnibus consilii *sui* copiam.' Qui municipes opponuntur hic civibus Romanis? *II. 353* 'Hoc interim spatio conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidisse; ea ruina ipsum [cum cognatis] oppressum <cum i> suis interisse. Quos quom humare vellent *sui* neque possent optritos internoscere . ., Simonides dicitur... demonstrator unius cuiusque sepeliendi fuisse.' M Lg. 32, 'oppressum cum suis' i. Offendo in hyperbato 'cum cognatis oppressum *suis*' neque hoc mihi dubitationis aliquantum non movet non nisi consanguineos epulis interfuisse, si M lectionem genuinam ducimus. Haud sciam an quidam 'cum cognatis oppressum suis' correxerit, ut 'suos exhumantes' non eosdem esse atque 'suos epulantes occisosque' clarius esset (cf. Ell.). *III. 13* 'me semper ab omni contentione ac dimicatione [animi] revocasti'. animi H om. EAi. Quia 'animi' non convenit, ubi publicae dimicationes intelleguntur (cf. Sor.), Stanglius coniecit corruptum esse ex 'nimia', quod verbum si recipitur, clausula exsistit heroica. Cur *144* 'sed certe [ut] eae partes fuerant tuae' par-

ticulam 'ut' secludendam esse proponam, postea (p. 77 sqq.) pluribus exponam.

His locis perspectis quibus quosdam addere non difficile est, praemonemur, ne saepius M fide consopiti in i verba excidisse statuamus. Sed ut fidem abrogemus i, certe adducemur, ubicunque de verbis omissis cum m convenit ex M ductis, neque minus ubivis complurium exemplarium scriptiones esse tanquam conferruminatae videntur.

Caput IV.

De vitiis quibusdam et virtutibus.)*

1. De verborum distinctione.

Si i ex L solo deductus esset, permulta menda litteris male a librario distinctis oborta esse exspectaremus. Namque in L verba spatiis distincta non ubique fuisse verisimillimum est cuius rei vestigia in cod. F(lorentino) potissimum Oratorem exhibente inveneris (cf. Heerd. proll. p. XV, Reis. diss. Arg. XII p. 13, Stangl, Bl. f. bayr. Gymn. 21. 38.).

Sed re vera admodum pauca talia scripturae vitia occurrunt. Facile enumerantur quae eo modo errata videntur: ut in eis partibus quae et M servantur: II. 75 pro 'decantet': dicat et i, 132 'spectantia': spectant ea O, spec tanc ea P, 199 'sic et eorum': sic ceterorum i, 268 'et taurum': et aurum i, III. 114 'causa et ratio' causae tractatio i, 151 'tamen' iam in i, 193 'efficient ut' efficientur OLg. int., efficerentur P^1, 227 'quod tamen interius' quoddam in inferius i. Praepositionem cum substantivo consequenti in unum coniunctam esse ex hoc errore dilucide intelligitur: III. 4 'pro pignore': propugnare i (Mar. Vict. 23. 12 K.). Contra interstitium inter verbum quoddam praepositionemque interdum fuisse hinc colligitur: III. 110 'attactum': ac tantum i (cf. Marx, proll. p. 21 squ.).

---

*) Barziza ante 1422 scribit haec: „Multa divisa composui; litterarum figuras similitudine aliqua inter se commutatas multis locis correxi" (Sabbadini, riv. di fil. XVI. 104).

Atque in eis partibus ubi M desunt:

'(artificio) perquam' I. 129 opera quam i, 'At Q. Velocius' III. 86 atque vel. i; 47 'autem ea': autem mea i, 102 'proximo. Set': proximos et i, 53 'Qui idem' quidem i. M autem deberi videtur haec lectio: 'neque' M i II. 62 pro 'ne quae'. Grammaticos uno tenore scripsisse 'nequis, siquis, numquis' Priscianus tradit (I, p. 183 G. L. K.).

In M autem archetypi scriptura continua et aliis locis male intellecta est et II. 201, quanquam Fridericus hic quoque eis confidit. Scribitur enim: 'quod esse in arte positum videbatur, ut de lege Appuleia dicerem, . . breviter . . attigi; his duabus partibus . . ., quae minime praeceptis artium sunt perpolitae, omnis est *a me* illa causa tractata . . .' est a me i, est tamen M. Si Fridericus voci 'tamen' iure patrocinatus esset, liceret dicere: „quanquam breviter de lege Appuleia locutus sum, tamen his duabus partibus omnem causam tractavi", id quod fieri non potest.

2. De scripturae compendiis et de scribendi ratione.

Quae compendiis falso solutis peccata sint, brevissime, cum non multae cod. i lectiones adhuc editae sint, perstringam; qui melius codd. integros cognoverit, hanc rem textui restituendo gravissimam pertractabit.

Velut turbas dedit nota vocis 'res publica' quae in P etiamnunc servata est: III. 8 'rem publicam' r. p. P. Lapsi autem sunt librarii III. 226 quo loco pro 'in re publica esse' (ĩ r. p. ẽẽ P^2 mrg.) inconsiderate scripserunt irrepsisse P, inrepsisse O. Tum praepositionum 'prae, per, pro' notae inter se confusae sunt: III. 223 'prae se . . fert' per i, 165 'praeposito' proposito i, I. 147 'praediscere': prodiscere i. Similique errore II. 292 'sive plura (sc. argumenta) sunt sive aliquod unum' pro 'aliquod' (—qd), quod numero commendatur, assumptum est 'aliquando' (—qñ). 'Tum quod' i III. 47 corruptum esse ex 'tu ů quod' i. e. tu vero quod Schuetzius scite coniecit; denique quia 'tamen' in vetustis exemplaribus nota 'tam̃' scriptum erat quae in apographis legitur II. 19 'nec tam̃' i, factum est, ut pro 'tam' III. 56 poneretur 'tamen'.

De compendiosa autem scriptura in M archetypo usitata falsoque in exemplis explicata hoc unum opusculo hic inserere mihi detur, quod ad nonnullas cod. i lectiones confirmandas idoneum videtur neque accuratius a Stroebelio disputatum est: maximae enim difficultates librariis hac re allatae sunt, quod in libris antiquissimis, ut et alioquin occurrit (cf. Marx, proll. p. 27), eadem littera q̃ q variae pronominis relativi formae erant signatae. Hoc conficitur et ex scriptionibus quae in libris exstant huiusmodi: II. 210 'quae suam' q̃ H, 52 'ii qui': iiq: H^1, III. 195 'quonam': q̃m M, et inde, quod omnes codd. pro 'quasi' (q̃i) II. 79 habent 'qua', pro 'rerumque quasi' III. 202: 'rerum quaeque'.

Unde factum est, ut poneretur 'quid' II. 290, III. 192 loco 'qui', 'quod' II. 114, 128, 250 pro 'quo', 'quo' II. 147, 281, 311 pro 'quod', aut 'quod' I. 175 (M=H), II. 329 pro 'quid' et 'quid' II. 367 pro 'quod'.

Quae cum ita sint, nonne temerarium est his quoque locis M assentiri, quibus lectio eorum si minus usu loquendi reicitur, at certe non praestantior est cod. i? II. 97 'in illo ex eo quod dico, quantulum id quomque est, *quid* faciam iudicari potest'. quid i quod M. 232 'non ut ad reperiendum *quid* dicamus arte ducamur' quid i quod M. 'quod' „praeferendum non videtur in sententia infinita non certa certae orationis materie ad inveniendum proposita" (Ell.). 317 'in ipso illo gladiatorio vitae certamine, *quod* ferro decernitur' quod i quo M.

Atque haec quidem de compendiis dicta sunt, *scribendi* autem *rationem* cod. i si oculis perlustraveris, primo fere obtutu hoc animadvertes Mediolanenses non ut Lamolam (p. 20) omnia secundum priorem textum rescripsisse, sed ut librum emendatiorem redderent antiquam rationem saepe et obsoletam sui saeculi mori adaptare studuisse; in hac re plerumque non indiligenter egerunt veluti II. 219 'uultu' i pro 'voltu', 'animum advertit' i III. 217 pro 'animadvortet', 'cuiquam' i I. 225, 230 pro 'quoiquam'. Nec vero deceptos eos non esse perspicitur collatis M, in quibus vetustior ratio scribendi multifariam duravit. Atque utraque familia si de hac quoque re comparabitur, si non quae ratio scribendi in L fuerit, patebit, at certe nonnulli loci luce

collustrabuntur clariore. Namque scribendi consuetudines observantibus nobis facilius erit et omnium codd. corruptelas sanare et singulorum de varietate iudicium facere.

Diphthongum ei, ut exempla quaedam afferam, in M archetypo crebro pro i longa servatam esse apographorum lectiones evincunt ut hae: 'caruos ei' M II. 165 pro 'Carbo sei', 'ciuirimeis' M III. 224: 'plurimis' i, 'monente L. Crasso' M II. 130 pro 'monentei, Crasse' (Stroebel, Bl. f. d. bayr. Gymn. 1897. 558, diss. p. 25), 'eidem' M II. 124 et passim pro 'idem'. In L autem ipso quoque eam adhibitam esse nescio an inde conficiatur: pro 'ne obsoleta' III. 97 — M desunt — exstat in i 'ne inobsoleta' i. e. nei obs.; et pro 'dici' 61 — M desunt — 'dein' O[1]. Barzizae vero diphthongum illam retinuerunt neque aliis locis neque his, quibus in M quidem archetypo eam fuisse censeo:

III. 182 *'nei* plane in vorsum . . incidamus' nec M Rufin., ne i, II. 97 *'nei* te quidem' nec te H E[2] O, recte A E[1] m, ne te o P (eandem discrepantiam adnotat Marxius proll. p. 163).

III. 212 'nihil. est quod praecipi posse videatur, *nei* ut figuram . . . deligamus' ne M nisi i, 201 'ne quid esse aliud oratoris putetis . . . *nei* in singulis verbis illa tria tenere' nisi in i, ne M. Idem quadrare videtur ad III. 17 'ets*ei* admonitum venimus te' et ne M et si i, e longa enim ipsa quoque in inscriptionibus et codd. pro ei sive i scribitur (Marx, proll. p. 163). 'rei ridemus' II. 260 vitiose in M scriptum esse videtur pro '(exspectatione) reidemus'.

Denique 'infumum' cum aliis locis servatum esse codd. lectiones coarguunt tum II. 339 'His quattuor causis totidem medicinae opponuntur: tum obiurgatio . . tum admonitio . . tum promissio . . tum deprecatio quod est *infumum* sed non numquam utile'. infimum i, infirmum M quae lectio sententia non commendata, quanquam a Friderico et Piderito retinetur, refutatur collatis auct. ad Her. IV. 8. 11; 10. 14 ubi eadem commutatio invenitur.

'Quom' coniunctio ab editoribus saepenumero in textu posita est, verum etiam 'quom' praepositionem nonnunquam mss. exhibuerunt, cuius de usu Marxius (proll. p. 166) nonnulla collegit.

Hanc in i raro servatam plerumque destitutam esse forma 'cum', in M autem interdum et vocula 'quam' immutatam esse videas ex his variis lectionibus: II. 308 'ut quom aliquo malo coniungatur' i ut quam M, 170 'quom gladio' A, cum H E i, 174 'quommonstrare' H commonstrare E A i, in omnibus codd. exstat 70 'quom . . potestate'.

Formam 'quom' ergo hic quoque in libris fuisse certissime conficitur: II. 94 'aliique quomplures' quam plures H e Lg. 32, conplures A, complures E i, et III. 132 'aliis. quompluribus' quampl. M, compl. i.

Loco autem coniunctionis 'quom' in i 'cum' passim scribitur, et 'quem' aut 'quod' in M, nisi integra relicta est.

Ut II. 228 'quom omnium sit venustissimus' cum i, quod M, 296 'quom mihi sermo cum hoc Crasso . . esset' i, quod M, et 233 'oratorem eum quem quom Catulus nuper audisset' quem cum i, quem quem M; pro certo ducerem alteram vocem hic alteri in M accommodatam esse nisi eadem immutatio exsisteret auct. ad Her. II. 30. 48: 'quintus locus est quom ostendimus' quem H P *Π* C[1]. Porro cum M non solum pro 'quom' exhibeant 'quod', sed etiam pro 'quod' formam 'quom' ut II. 310 'quod saepe iam dixi' H i, quom A, cum E, clarius luce est scribas codd. M male internovisse notas quibus in archetypo voces 'quod', 'quom', 'quem' signatae erant (cf. p. 49) tenuemque eis esse in hac re fidem.

Quapropter mihi quidem dubium non est, quin Ellendtius litem codd. discrepantia motam hoc loco recte sedaverit: II. 302 'Quo quidem mihi turpius videri nihil solet quam *quom* ex oratoris dicto aliquo . . . sermo ille sequitur' quod M cum i, Jul. Vict. At 'quom' in i voce 'quod' loco motum est II. 229 'quom iis nihil opus sit' quod i, et 61 'in philosophos vestros si quando incidi deceptus indicibus librorum, *quom* sunt fere inscripti de rebus notis . . ., verbum prorsus nullum intellego'. quos H[1] E quōs A quod sunt i qui sunt Lg. m praeter 32. Coniunctionem 'quom' hic reddere possumus „indem, dadurch daß" (Kuehner, Lat. Gram. II[1], 880 squ.), in M archetypo fuisse 'quōs' i. e. quō s̄ intelligitur. Compar error commissus est II. 136 'quom de facto' quod e f. M pro 'quō de f'.

Denique 'quom' secundum ea quae attulimus restituendum est III. 208 ubi vulgatur 'quod':

'Quae quidem te, Crasse, video . ., quom nota esse nobis putes, sine definitionibus . . effudisse.' quē M quam i.

Praepositionum litterae novissimae semper fere ineuntibus quibuscum compositae sunt verbis accommodatae sunt, cum in M plerumque integrae relictae sint: ut 'affert' i II. 143: 'adferet' M, 'assequitur' i 176: 'adsequetur' M, 'assit' i 102: 'adsit' M.

Haec docti novarunt, vestigia autem scripturae antiquioris quamvis rara atque detrita deteguntur L opinor propriae: ut semivocales in illo videntur geminatae non esse his locis III. 99 'terram' Plin. — M desunt — ceram O ε, teram λ, cacram P, et II. 153 'narrarent' M pararent i. Cf. auct. ad Her. IV. 51, 64 parem M pro 'narrem' et Wilmannsius de Varronis libris gramm. p. 179: 'narare per unum R scribitur, ut Varroni placet.' II. 284 'Lucullus' H edd., Lucilius ε, Luculus O cf. Mar. Vict. 8, 1 K.: 'Consonantes litteras non geminabant ut in his Annius, Lucullus, Marcellus, Memmius . ., sed supra litteram quam geminari oportebat, sicilicum ponebant.'

Ex altera parte 'tellum' a 'tendo' derivandum (cf. Walde, Et. W.) exaratum erat III. 226 tella O, tecla A, sic ut alibi 'vellum, anhellus' etc. occurrunt (cf. Lindsay-N. Lat. Spr. p. 128). In 'paulum' vero semper quod sciam in M et i geminatio neglecta est, item in nomine proprio II. 272 'in Pauli pugna', nisi forte suspicaris in i scriptione 'paululum' pro 'paulum' II. 54, 179, 228, 234, 242 latere 'paullum' non recte a librario intellectum.

Aliud accedit haudquaquam minimi momenti: Velius Longus ait (54. 16 Gr. L. K.): 'in plerisque Cicero videtur auditu emensus scriptionem qui et »Aiiacem« et »Maiiam« per duo i scribenda existimavit,' et Quintilianus I. 4, 11: 'sciat etiam Ciceroni placuisse »aiio Maiiamque« geminata i scribere.'

Constat ergo Ciceronem ubicunque ai vocalem antecessit, litteram i geminasse. Idem valere in ei, oi, ui a longa aut brevi vocali incipientibus verisimillimum est. In cod. Plautino quidem Ambrosiano scribitur ut 'maiiores' item 'cuiius' (Studemund, anal. Plaut. p. 171).

Atque in libris Tullianis sunt certe corruptelae ex quibus

hanc scripturam quondam servatam esse efficitur: ut in Cluniacensi cod. Poggii scriptum erat: 'agiunt' pro 'aiiunt' non 'aiunt' ut Clarkius sibi persuasit (the vetus Cluniacensis of Poggio, anecd. Oxon. 1905 introd. p. XVII.), 'iaciebant' pro 'aiiebant', 'Pompegius' pro 'Pompeiius', ita in M archetypo 'eiiero' et in L aut archetypo eius exstitisse mihi videntur 'Gaiius, Eleiius, maiius', cum legatur in H 'eiuero' II. 285, in i autem 'Gallus' (Velleius) III. 78, 'Erilius' 127 (et eius M), 'aliud quiddam magis' 97 — M deficiunt — pro 'maiius' in omnibus qui inspecti sint codd. Ex MAII' depravatum videtur MACIS. —

Sed plurimis locis ne vestigium quidem rationis scribendi quam Tullianam esse cognovimus reperitur. Quid? quod semper, quantum ex Friderici adnotatione vidi, in libris invenitur 'causa, casus, divisiones', horumque similia, cum Quintilianus (I. 7, 20) 'Ciceronis temporibus paulumque infra' litteram s geminatam esse tradat? — Quid? Gellius non refert Ciceronem dixisse 'memordi, pepugi, spepondi', id quod Cluniacensis cod. fide confirmatur (Clark, l. l. p. XXI)? At in his libris insunt formae vulgares ut 'poposcisse' (I. 29), 'praecucurrit' II. 131 (praecurrit im). Fidesne habenda est horum codd. scribendi rationi?

Editores hac aetate plerique, ne quid verum atque antiquum tollatur, tutius existimare solent recipere quam quoque loco lectionem via ac ratione antiquissimam assequi possint (Marx, proll. p. 162), quam semper certas sequi scribendi regulas.

Ac profecto sunt quaedam res, de quibus neque grammaticorum testimonio neque fide inscriptionum docemur quamnam scriptionem Tullius praetulerit: equidem nescio scripseritne ei pro i longa semper an numquam an interdum ut more Luciliano. In Cluniacensi quod videatur diphthongus adhibita non est, in inscriptionibus autem ex Sullae aetate rarior facta II p. Chr. n. saeculo evanescere coepit. Recte Madvigius (ad de fin. I. 14 p. 32) ait: „Sed tamen in hac re (sc. forma genitivi 'Aristoteli'), ut in aliis quae vocum scriptionem ac formam attingunt, apparet quoddam iudicium et potestas eorum qui vetustissimos codices singulorum operum Ciceronianorum scripserunt.“ De hoc vero scripto id potest dici codicem ex quo et M familia et L deductus

est, ante primum p. Chr. n. saeculum exiens scriptum esse, si quidem Brambachius (Neugestaltung der lat. Orthogr. p. 183) recte ait: „Jedenfalls steht es hinlänglich fest, daß entsprechend dem allgemeinen Schriftgebrauch auch die Schrifttheorie seit dem ersten Jahrhundert schon ei hat fallen lassen.“ (cf. p. 16).

Sed cum nos, ne in dubiis his rebus fallamur, ex codd. fide scriptionem quae antiquissima videatur integram conservamus, ne obliviscamur constare nos passim a recta via recentioris aetatis a librariis abduci.

3. De litterarum immutationibus.

De L litteris ex i mendis vix quicquam statuere licet gravius. Vulgares errores sunt immutationes litterarum C et G et T et I: e. g. II. 225 ‘te agere’: facere i, 352 ‘Crannone’: Grannone i et 336 ‘et qui’ ei qui i, III. 189 ‘Ego . . inveni *iam* quem negaram . . me invenisse’ tamen (i. e. tam̃) i (cf. p. 48).

Quod vero e et i paene promiscue tum in i tum in M ponuntur (cf. Stroebel, diss. p. 9 squ.), non ad scribendi morem, sed ad pronuntiationem pertinere notum est. Atque in hac re omni fere fide atque auctoritate destituti sumus, nisi quid ex sententiarum conexu definitius afferri potest. Quod genus hi loci sunt, quibus ne i lectiones foras expellantur, suadeo:

III. 185 ‘et si numerosum est id . . ., recte genus hoc numerorum . . in orationis laude *ponetur*’ i, ponitur M; propter clausulam improbo. II. 325 ‘Conexum . ita sit principium consequenti orationi, ut non tanquam citharoedi prooemium *adfictum* aliquod sed cohaerens cum omni corpore membrum esse videatur.’ adfectum M affictum i et III. 179 ‘Nullam partem corporis sine aliqua necessitate *adfictam* totamque formam quasi perfectam reperietis arte, non casu.’ adfectum M affictam i. Ut vis vocis ‘affingere’ opificum propriae patescat, conferatur III. 36 ‘tantum alteri affinxit (sc. Isocrates), de altero limavit, ut . .’ (cf. Pid. ad l.). Quo iure ‘adfectum’ et ‘adfectam’ a Friderico defendatur, nescio.

Litteram h sane cum non iam enuntiaretur, modo omissam esse modo falso appositam vix est quod commemorem: ut

'ortulos' i III. 63, 'meis' Mi 4 pro 'me his', imprimis 'hic' et 'is' pronomina et 'hominis' atque 'omnis' inter se confunduntur.

Semper in lectionibus singulis aestimandis meminerimus codd. non a Romanis perfectos esse, sed a Romanicis. Qui quia in enuntiando non internoverunt e ab ae (cf. it. equo: aequum, eterno: aeternum), in epistulis Petrarca scripsit velut 'fraenare' vel Barziza 'pene' et in i editur: III. 157 'tenebre', 183 'pean', 76 — M desunt — 'omniaque' pro 'omnia quae'. — Aut littera m cum in fine verborum non efferretur, modo omissa est modo scriptura quam perversam Schuchardtius vocavit (cf. K. Meister, Rh. M. 1909, p. 373) temere indita est e. g. III. 214 'sanguinem redundat' pro 'sanguine'; id quoque ad dicendi morem spectare mihi videtur, quod casus rectus interdum accusativo immutatur ut II. 353: 'Simonides dicitur . . demonstrator*em* . . fuisse' i. Tum cum eodem modo -um enuntiarent vocibus exeuntibus atque o, perverse scriptum est ut III. 17 'qui voltum eius . . in cogitando probe nosset' cogitandum i neque scio an in accusativis 'versum' et 'cantum' III. 174 'haec duo . . machinati ad voluptatem sunt, vorsum atque cantum' M 'versuum atque cantuum' i, item 182 'versuum' i vocalis u geminata sit, ne pariter haec appellarentur atque voces neoitalicae 'verso' et 'canto'. — Litterae pt inter se accommodatae sunt III. 205 'discretio' i (P^1 descr.) pro 'discriptio'; cf. it. scritto, sette. Similiter or. 134 'charatter' P^1 pro 'character' cf. it. carattere.

Longum est omnes huius modi errores enumerare, quanquam officium iucundum est neque eis qui linguis Romanensibus student nullius momenti diligentius tractare, qui in i et M pronuntiandi errores deprehendantur. Sane vero id munus ideo difficillimum est, quod mendis per longum tempus propagatis scribae aut correctores iterum atque iterum vocum formas vitiosas Latinarum similiores reddere studuerunt.

Velut huc cadit, ut quaedam proferam, immutatio illa litterarum S et X (cf. Meyer-Luebke Gram. Rom. Spr. I, p. 390 sqq., Lindsay-N. p. 123): e. g. II. 121 'hausit' M pro 'auxit' aut 126 'disseris' HAE^1 pro 'dixeris' scribitur scripturaque perversa 'Exquilina' P m 276 pro 'Esquilina', cf. 242 'extimatio' m, 'aesti-

matio' Mo. Deinde litterae V et B inter se confunduntur (cf. Meyer-L. I, p. 320, Lindsay-N. p. 56 sqq.) ut 'uacarum' HAe III. 154 pro 'bacarum' (cf. Meyer-L. Et. Wbch. nr. 859), ib. 'incurbescere' A pro 'incurvescere'. Tum quia N ante S non pronuntiabatur (cf. Meyer-L. Gram. I, p. 320, Lindsay-N. p. 80) videtur corruptum esse 'sin mines' M III. 219 ex '(vehemens) imminens'. Quod vero pro 'obsolverunt' III. 136 exstat 'absolverunt' MP[1], velim conferatur prov. abauzar: oboedirẹ etc. (Schuchardt, Vokalismus des Vulgärlatein I, p. 184).

Sed iam satis de hac re disputatum est. Aliter res se habet in confusione litterarum S et R quae in M reperitur (cf. Marx, proll. p. 26 qui similia affert). Atque cum in fine tantum verborum occurrat, conficitur in M archetypo certe aliquotiens vocum distinctionem factam esse. Forma autem litterae s saepe verbis exeuntibus alia est quam mediis neque litterae r dissimilis. Cod. i igitur partis studiosi erimus, cum M habere animadverterimus 'facetur' II. 219 pro 'facetos', 'uoluistirr' A[1] 233 pro 'uoluistis' saepeque in E hanc permutationem inveniri (Stroebel, diss. p. 11), velut his locis subdifficilibus:

II. 324 'Maxima autem copia principiorum ad iudicem aut alliciendum aut incitandum ex iis locis *trahetur* qui . . inerunt in causa.' trahemus M, trahitur i. Qui M hic secuti sunt, 'maxima . copia' quarum vocum et M et i fideiussores sunt non scite correxerunt in 'maximam . copiam'. 'trahetur' scribendum est, cum 'trahitur' cum sequente 'inerunt' conciliari non possit (Ell. ad l.). *III. 172* 'id adsequemini si verba extrema cum consequentibus . ita *iungetis*' i, iungentur M, illud cum 'adsequemini' bene concinit.

Deinde paene sescenties vocabula eorum quae aut antecedunt aut consequuntur inclinationibus accommodata esse cognoveris. Hoc modo, ut quaedam in medium proferam, scriptum est: 'ipsum *illum* .. audire desiderant' II. 213 pro 'illud ipsum', 'sine sententiarum *forensium* aculeis' 64 pro 'forensibus' quod confirmatur collato or. 62 'horum oratio neque nervos neque aculeos oratorios ac forenses habet', (cf. Pid. ad l.) aut 'genus orationis .. cum lenitate quadam *aequabili* profluens' II. 64 loco

'aequabiliter profluens' quod consonat cum III. 172 'orationem ... aequabiliter fluentem'.

Atque hanc quoque rem aliquid prodesse videlicet nobis antiquissimas lectiones investigantibus atque ubivis duas lectiones pariter ut videtur praecipuas sub examen vocabimus, minus firmitudinis ibi esse censebimus, ubi verba quaedam inter se accommodata esse suspicandum erit. Itaque reiciemus quod in i traditur II. 20 'sessiones gymnasiorum et *Graecarum* disputationum memoriam . . commovent' i qua lectione potior est 'Graecorum' M quod ad 'gymnasiorum' et 'disputationum' referatur oportet.

Tum verba scriptoris sive litteris sive syllabis aut extritis aut inditis (cf. Usener, Rh. M. LVI. p. 71, Brinkmann, ibidem p. 305) plus semel corrupta sunt neque vero unquam, opinor, ita, ut verba quae in libris leguntur Latinorum instar non sint. Pro 'arte ducamur' II. 232 scriptum est 'artemur', pro 'delectatio' III. 203: 'delectio', pro 'contentione' II. 230: 'contione'. Item 'reorum' remotum est vocula tritiore 'rerum': II. 78 'Causam appellant rem positam in disceptatione *reorum* et controversia' qui locus illustratur allato de inv. I. 6. 8 'causam esse dicit rem quae habeat in se controversiam in dicendo positam cum *personarum* certarum interpositione.' Inculcatis autem litteris quibusdam loco 'tactum' II. 43 positum est 'tacitum', pro 'execratio' III. 205 'exercitatio', pro 'videmur' II. 230 'videremur'.

Denique transpositis litteris verba scriptoris depravata sunt: pro 'suspicere' III. 22 habet i 'suscipere', pro 'exanimata' 41: 'examinata', 'rapiant' II. 146 pro 'parient', pro 'conversa' II. 358: conserva O, unde natum est 'conversata' PO^{2}mrg., 'modi' i II. 2 — M desunt — pro 'domi'.

4. De verborum formis immutatis.

Barzizam textum emendate scriptum in lucem proferre voluisse et hac re cognoscitur: ut enim verba, quae in exemplaribus inveniebantur antiquiore scribendi ratione scripta, ex more saeculi reddere assolebant (p. 49), item ne usquam haererent, qui legerent, saepius emendarunt sive formas verborum

sive totam dictionem, ubivis quid secedere a castae orationis legibus videbatur.

Hoc modo in Accii versiculo 'Ipsus hórtatúr me fráter' (III. 217): ipsus Lg. 69, ipsius M pro pronomine inusitato 'ipsus' exstat 'ipse' quod metro repugnat, aut pro 'mi' forma plenior Enni versu quodam laudato III. 154 et 218: 'mi exanimato' mihi i, aut genitivus obsoletior 'nimbum' vulgari forma 'nimborum' immutatur in Pacuvi versiculo III. 157 (idem est in Lg. 32).

Pro accusativo masculini generis proprio 'duo' scripserunt 'duos' II. 223 'Quom . Brutus duo lectores excitasset' duo MO[1], duos PO[2]m, 353 'stare ad ianuam duo quosdam' duos m i, cui formae eo magis fides abroganda est, quod eadem in m legitur. Quia autem Tullius modo hac modo illa forma uti videtur (Neue-Wagener, Formenl.[3] II. 279 squ.), rariorem formam in eis huius scripti partibus (I. 228, II. 9) restituere non audeo, ubi M testimonio caremus.

Porro reiciendas esse puto Graecorum nominum propriorum has formas magis usitatas quae in i receptae sunt:

II. 95 'Demosthenis' pro 'Demostheni' M (Neue-W.[3] I, 509 squ.), 'Periclem' III. 71 pro 'Periclen' P (Neue-W.[3] I, 474 squ.), 'Salaminem' II. 193, quod alio loco nullo reperitur, pro 'Salamina'; suspectum est 'luxuria' II. 135 pro 'luxurie' M, cum prius vocabulum et in e insit.

Cum complures verborum constructiones quae singulares viderentur ab i recensore servatas non esse Stanglius docuerit (Tull. p. 51 squ.), pauca notabiliora addo.

Ubi 'ut' et 'item' inter se responderunt, alterum vocabulum mutatum est voce 'ita': ut

II. 33 'utinam, ut mihi illa videor videre . ., *item* nunc . . possem vobis exponere.' ita i. 88 'Nam facilius sicut in vitibus revocantur ea quae se nimium profuderunt quam . . nova sarmenta. excitantur; *item* volo esse in adulescente . . .' ita i. 214 'Non., sicut argumentum . . arripitur alterumque . . poscitur, *item* misericordiam . . possis commovere.' ita i. Eadem immutatio in libris auct. ad Her. expletis (E), quibus magna cum i similitudo est, observatur (Marx. proll. p. 42.).

Verba Tullii etiam II. 226 mutata esse patet: 'An eloquentiae

(sc. studere)? Quae neque est in te et quicquid est vocis ac linguae, omne in istum . . quaestum contulisti.' neque M, nulla i, quid in m sit, non compertum habeo. Hic, ni fallor, recensor aut librarius cod. i non intellexit respondere inter se 'neque — et' itaque 'nulla' scripsit quod minus videtur elegans. In M niti malo etiam II. 364: 'nemo unquam tam sui despiciens fuit quin speraret' qui desperaret i, quod suspicionem iam ideo habet quod in m quoque traditur 'qui (speraret).'

Alio loco doctos adhuc fugisse videtur latere verum in M, in i autem corruptum esse. Legitur enim in M: II. 77 'Dimitto autem eos (sc. Phormiones) non tam contumeliose quam philosophum illum *Hannibal is* et eo fortasse plus habeo etiam negotii'; in H post 'is' vacat 12 litt. spat., 'Hannibal' om. 'is' i, idem in m legi videtur, in Lg. 32 duo post 'Hannibal' litterae erasae sunt. Plurimi editores 'is' ut inculcatum increpuerunt, Fridericus ex 'iste' depravatum esse coniecit, nos vero cum spatia vacua in M imprimis in H nonnunquam relicta esse constet, ubi nil desideratur (p. 27), litteras quas M exhibent non recte, ut saepe fit, distinctas esse rati aliter interpretamur: 'Dimitto autem eos (sc. Phormiones) non tam contumeliose quam philosophum illum *Hannibales.*' Forma 'Hannibales' — i. e. homines qualis Hannibal fuit, — et significatur Phormiones ut Hannibalem ita alios docere voluisse ea quorum ipsi imperitissimi essent, et satis urbane Catulo obloquitur, qui eum cum Hannibale aequaverat haec edens: 'Sed hoc minus fortasse errant (sc. qui de arte dicendi praecipiunt) quod non te ut Hannibalem, sed pueros aut adulescentulos docere conantur' (II. 76). Quae sermonis subtilitas in i evanuit.

'haud sciam an' cum minus vulgatum esset, immutatum est verbis 'haud scio an': II. 18 'ineptiarum . . haud sciam an nulla sit maior' scio i, sed cf. I. 255, II. 72, 209, ubi 'haud sciam' in omnibus codd. est. Ut finem faciam enumerandi, casus ablativus in M traditus, cuius loco in i accusativus invenitur, iure anteponitur his locis:

II. 76 'qui tot *annis* de imperio cum populo Romano . . certasset 'annos i, III. 138 'XL annis praefuit Athenis' cuius moris

dicendi rationem exposuit Reisigius (R.-Schmalz-Landgraf, Lat. Syntax p. 683).

Hic et plerumque optimo iure tritioribus praeferemus rariora confisi magis codd. M auctoribus magnae antiquissimarum lectionum multitudinis quamvis vitiose scriptarum quam codici i cuius librarius emendando deditus obsoleta crebro suo arbitrio fucavit.

5. De praepositionibus.

Nunc perdifficilis res venit in discrimen scilicet de praepositionibus verbis nunc adiectis, nunc detractis, nunc inter se mutatis.

Atque multis locis praepositiones in i iure appositas esse, in M falso omissas apparet ut II. 207 'studiis . . ceteris commodandi favetur' modandi M, quod Latinum non est, 362 'frat*re re*spondeo' spondeo M haplographia quadam erratum sicut 225 '*quom con*iectis' iectis M, 124 'exercitum amiserat' miserat M. Ne III. 137 quidem dubito, quin verbum simplex removendum sit: 'Sed ut ad Graecos referam orationem, quibus carere hoc quidem sermonis genere non possumus — nam ut virtutis a nostris, sic doctrinae sunt ab illis <exempla *re*>*petenda*—septem fuisse dicuntur . . sapientes' virtutes; petenda M, virtutis; exempla repetenda i. Neque enim intellego, quo pacto dici possit: 'ut virtutes . ., sic doctrinae . . sunt . . peten*da*' (sic Fridericus), id quod neque convenit cum arte grammatica neque ad sensum aptum est. Si autem 'exempla' recepimus, consequens est, ut 'repetenda' comprobemus, ne in clausulam heroicam incidamus. II. 230 'Erat. tanta in Domitio gravitas. ., ut . . lepore magis ***elevandum*** quam contentione frangendum videretur.' levandum M. Pideritus bene, ut i lectio confirmaretur, attulit de inv. I. 78: 'Reprensio est, per quam argumentando adversariorum confirmatio diluitur [aut infirmatur] aut *elevatur.*'

Perperam vero inditae sunt praepositiones e. g. III. 213 'magis miraremini' admir. e, ammir. i. Hic praepositionem ex exemplari quod in i recensendo adhibitum est mutilo sumptam

esse suspicio est; numeri autem causa verbum simplex velim praeferatur: II. 231 'explicare. totum genus . . quale sit et unde ducatur' deducatur i.

Ex altera parte praepositiones quae in M adsunt recte omissas esse vides veluti

II. 294 'ut non fugiendi hostis, sed capiendi loci causa *cessisse* videar'. accessisse M. 308 'quae *probandi* .. causa dicenda sunt' deprobandi M, quod Latinum non est. 366 'ut . . eius distinctionem et *ornatum* relinqueret.' exornatum M, ne id quidem substantivi quidem loco alioquin legitur. Clausulae causa verbum simplex praefero II. 189 'ut ad fletum misericordiamque *ducatur*.' deducatur M (cf. II. 231 quem locum supra attulimus). Collato autem II. 120 'illa quae sunt alterius generis, quae tota ab oratore *pariuntur*, excogitationem non habent difficilem' defenditur lectio cod. i II. 116: 'reliqua si quae sunt, quae non *pariuntur* ab oratore, sed ad oratorem a causa atque a reis deferuntur'. reperiuntur M. Denique recte fecisse nego editores omnes opinor inde ab Ellendtio, quod ex M asciverunt 'suscepimus' III. 9 'viris qui hoc sermone quem referre *coepimus* continentur', coepimus P cepimus O, suscepimus M. Neque enim, quantum quidem ex Merguetii indicibus verborum vidi, apud hunc scriptorem infinitivus ex 'suscipere' pendet.

Vitiose autem aliis locis praepositionibus praetermissis vis verborum in i minuta est: ut III. 67 *'putare'* pro 'disputare', 207 *'scriptio'* loco 'circumscriptio', II. 147 'quom ad inveniendum in dicendo tria sint' *ueniendum* i, 'elaboravit' M III. 135 praestat lectioni *'laboravit'* i quippe quam codd. quoque emendati e, o, l exhibeant, 125 'Ita facile . . ad orationis ornamenta sine duce . . delabetur' *labetur* i, delabitur M, recte Sorofius in eiusmodi metaphoris 'delabi' praestantius esse verbo simplici adnotat, tempus autem futurum sententiarum coniunctione desideratur, 217 in versiculo quodam '(videi) Priamo vi vitam evitarei' evitaret M, vitari i, corr. Stangl., tantummodo 'vitam *e*vitare' idem valet atque 'demere vitam'.

De his locis satis certo iudicari potest, sed restant alii multi, de quibus sententiam ferre difficillimum est. Neque enim in uni-

versum de hac re decernere licet, cum fere totiens in i recte addi praepositiones videantur, quotiens falso desunt (cf. p. 38), sed singulis locis, utrum magis placeat aut utrum facilius depravari potuerit, considerandum est.

Si vero quaeritur, qua de causa praepositiones modo exciderint, modo suppositae sint, afferri solet distinctionem verborum in coniunctionibus interpositam esse (cf. p. 47). Neque vero solum id valet. Immo hic quoque est, quod pronuntiationis scribarum (cf. p. 54 sq.) memores simus, quos 'istudiare, escribere' dixisse et multis codd. lectionibus et linguarum Romanensium formis propriis: cf. francog. étudier, écrire ostenditur. Atque statuendum est temporibus quibusdam voces 'scribere, inscribere, exscribere, discribere' paene eodem modo appellatas esse. Haec autem vocalis, quae vocatur prosthetica quamque non solum ante st, sp, sc apparere verum etiam ante alias consonantes Schuchardtius docuit (Vokalismus des Vulgärlatein II. 337 sqq.) ut in 'icapiuntur, idies', inveniri videtur velut:

II. 340 'expectare' Hi pro 'spectare', II. 144 'quom diceret sibi certum esse' incertum H[1]E[2], iniuria Fridericus coniecit *'iam* certum'; ibidem 'istatim' M statim o γ, ubi recte 'istam oscitantem sapientiam' in i exstat, cum Fridericus ex H[2] 'istam tuam' receperit. I. 118 'quam indiligenter' i pro 'diligenter', I. 10 'inscientiae' H[1], ubi M 'scientiae' habent.

Mutatae sunt praepositiones inter se velut II. 313 ubi 'succurratur' in i corruptum est in 'occurratur' aut III. 4 'haec tibi est incidenda lingua, qua vel evolsa . . libidinem tuam libertas mea refutabit.' excidenda i minus fide dignum, cum facilius intellegatur 'incidere (*e*volsa)' nescio cui offensioni fuisse quam 'excidere', quanquam neutrius verbi significatio hic apta non est. III. 207 pro 'relatio': translatio i.

Sed male Fridericus i secutus non est II. 149: 'deinde ut in iis locis, quos proponam paulo post, pervolvatur animus, ut penitus insinuet in causam . . diligentia est.' pervolv. i, revolvatur M. Neque enim 'revolvatur' explicari potest (Ell. ad l.), utpote quod nunquam apud Ciceronem cum 'in' c. abl. coniungatur (cf. Merguet. lex. Cic.).

6. De vocibus inter se mutatis.

Quod 'rerum' loco 'reorum' II. 78 in i exaratum est, ut modo exscripsimus (p. 57), haud sciam an consilio ac mente factum sit. Aliis quidem locis, quibus diversa eiusdem aut simillimae significationis verba in utraque familia praebentur, dubitari nequit, quin in locum verbi cuiusdam minus usitati aut cuius vis non satis intellegeretur, tritius consulto quasi subrogatum sit. Vix enim quisquam L ipsi attribuet talia: ut vulgare 'interfecerit' i II. 134 scribitur pro 'interemerit' (cf. p. 20) aut 're narrata et exposita' II. 312 mutatur 'narratione exposita'. Tullio autem ipso ῥητορικώτερον scribendum curaverunt III. 228 'collegisti omnia . . . ita divinitus, ut non a Graecis *didicisse,* sed eos ipsos haec *docere* posse videare': pro *'sumpsisse',* sane ut 'didicisse' et 'docere' inter se responderent melius quam 'sumpsisse' et 'docere'. — Quia Scipio dici solet 'Africanus maior', scripserunt 'maior' et II. 250 'Africano illi superiori' HE Non., quanquam hic usus et alioquin occurrit (cf. Sor.).

Sed ex i partibus sto III. 214 laudata illa Gracchi oratione: 'quo me miser conferam? quo vertam? In Capitoliumne? At fratris sanguine *redundat'*. i, madet M, cum vocula 'redundat' vi graviore praedita magis hic idonea videatur. Et II. 365 'quae sunt *longe* secus' i, valde M. Nam secundum Merguetium et in orationibus Tullianis (Mur. 31, Balb. 29, Planc. 93 cf. part. or. 15) et in scriptis de philosophia (tusc. III. 60, div. I. 105, Lael. 29) 'longe secus' in usu est, non 'valde secus'.

Cum incertum sit, utra in classi vera lectio servetur, nonnunquam alia alicuius momenti re adiuvamur.*) Saepius enim Romanici illi, qui codd. scripserunt, pro vocula quadam, quae in lingua qua usi sunt neolatina non mansisset, posuerunt aliam quae forma mutata vivere non desisset. Qui hanc rem non neglexerit, ei multis locis codd. de verbis discrepantibus certius iudicium erit. Ac profecto perinde in libris Graecis saepe voculam recentioris linguae Graecae a librariis positam esse statuitur loco antiquioris et obsoletae aut dialecti cuiusdam tantum-

*) Carolus frater de hac re ante hos tres annos me monuit.

modo propriae. En habete exempla: in locum vocis 'princeps', quae in dialectis Romanensibus deperiit, in H quasi suffectum est III. 173 'primus', aut 'occulas' II. 177 in M loco motum est verbo 'occultes'. Verba enim intensiva magis magisque in sermone vulgari usitata esse notum est: cf. it. ajutare, francog. aider: adiutare, it. cantare, francog. chanter: cantare e. a. m.

In i autem multo huius rei plura quam in M exempla exstant.

Ac primum pronomen 'is', quod Romanicorum in nulla dialecto mansit, saepius in i loco movetur, pro quo ponitur aut 'iste' ex quo originem duxit 'esto' it. vet.: ut II. 155 'hoc ex iis saepe audivi' istis i, 217 'aliquid ex iis' istis i, 238 'in iis vitiis quae' istis i, 278 'ex ea arbore' ista i, illa Quint. VI. 3. 88, aut 'ille' ad quod pronomina it. il, lo referenda sunt: II. 64 'in his (an 'iis'?) artibus quae traditae sunt' illis i, 113 'Nam id quidem quod quidam Graeci adiungunt' iis H E², ii A¹ E¹, illud i, id Stanglius (B. ph. W. 1905. 1313), I. 52 'in iis' iis H E¹ his codd. quidam m, illis i, atque recte Ellendtius proposuit I. 137 — M desunt — 'id quod est . . dignum' pro codd. 'illud quod'.

Tum II. 99 'quascunque causas erit acturus' acturus i, tractaturus M: 'causam agere' (cf. Brut. 87) idem fere valet ac 'causam tractare' (cf. or. 74), sed praeferemus 'acturus' quod in lingua neoitalica evanuerit. Item intellegemus, cur II. 112 'Nusquam . *tam* quaeritur quale sit . . quam 'in scripto' in i '*tantum*' pro 'tam' positum sit: secundum suae dialecti neolatinae morem posuerunt Mediolanenses, ubi it. 'tanto' adverbii loco est.

Huc id quoque potest referri, quod 'que' quod in recentioribus dialectis non duravit ut in M item in i tollitur: ut scribendum est M testibus I. 36 'ornateque' M pro 'et ornate' i, sed cum i I. 8 'quanta oratorum sit *semperque* fuerit paucitas' i et semper M, semper E e; atque II. 46 'formae virium ingeni *ceterarumque* rerum' i, et ceterarum M. Alia apud Stanglium (Tull. 35).*)

---

*) Errore hic 'despici, detrahi' aliosque infinitivos praesentes passivi generis in I brevem cadere edixit. Immo quia 'despici' in longam syllabam exit, in clausula 'despicique' usitatius est quam 'iudicareque'.

Pro 'non modo (— sed etiam)' et 'non modo (non — sed)' usi sunt 'non solum' II. 274 et 252, namque 'modo' quamquam in lingua neoitalica non deest, tamen notio mutata est (it. mo „eben jetzt" Körting Et. W. Nr. 6242).

Denique commemoro 'ipse' vi demonstrativa positam esse III. 6 'vestigium illud ipsum in quo *ille* postremum institisset' ipse M et 141 'quod *ille* suas disputationes . . transtulisset' ipse Mi ille Schuetz, quae vis „cum apud auctores posterioris Latinitatis tum apud Romanicos multis exemplis constat" (K. Meister, Rh.M.1909.374, Meyer-Lübke, Gram. der rom. Spr. III, 83 squ.). Fridericus utroque loco pronomen dimisit.

7. De egregiis quibusdam lectionibus.

Postquam mendorum cod. i propriorum singula genera, quorum in textu restituendo rationem haberi opus est, exemplis illustravimus, ut eluceat vera quoque sinceraque multa in cod. illo quamvis falsis lectionibus abundante exhiberi, colligam ac retractabo nonnullos locos in controversia versatos quibus Mediolanenses non acumini confisi esse sui ingeni, sed aut ad ipsum L refugisse mihi videntur aut de mutilorum varietate optimum quidque elegisse. Etsi nulla in re pluribus verbis commorabimur, tamen fore speramus, ut intellegatur cum alios doctos tum Fridericum saepius, quod in integrorum familia traditur, non recte postposuisse M scriptionibus.

II. 16 'ut ne Sulpicius . . aut Cotta plus quam ego apud te valere *videantur,* . te exorabo ., ut mihi quoque et Catulo tuae suavitatis aliquid impertias', uidear H l, uideantur i ε, uideatur e Frid. At cod. e A deficiente, depravato H neque fidem habet et vocula 'aut' in eiusmodi sententia negativa vi saepe disiunctiva caret (cf. Wi.[1] ad l.), ita ut in numero plurali nihil sit offensionis.

38 'in qua (sc. eloquentia) quia vis magna est in hominum ingeniis, *eo multi* etiam sine doctrina aliquid omnium generum atque artium consequontur'. eo multi i, emolumenti M. Si M lectionem probamus, non est quo casus genitivus 'omnium generum atque artium' referatur; neque vero quisquam Fri-

derico concedet, ut haec difficultas e medio tollatur, 'homines' ante 'consequontur' suppleri.

47 'Quor igitur dubitas, inquit Catulus, facere hoc tertium genus (sc. laudationes), quoniam est (inest i) in *oratione* rerum?' in ratione i E H^2, in rationem H^1 A e γ, quod probari nequit, namque, ut clausulam omittam, recte Sorofius ait (ad II. 200) „'constitisse in possessionem' wie auch 'esse' mit 'in' und dem Acc. verbunden wird, wenn die Bewegung nach einem Punkte hin und zugleich die darauf folgende Ruhe an demselben bezeichnet werden soll" (cf. Kuehner-Stegmann, Lat. Gram. II^2, p. 593), hic autem 'est' idem fere valet atque 'posita est' (cf. Ell.). Eodem modo M reiciendi sunt 200 'pro meo sodali qui mihi in liberum *loco* . . esse deberet' loco i, locum Mm, ubi 'locum' vocis 'liberum' simile factum esse puto, 'esse in liberum loco' autem idem fere est atque 'numerari in liberis'.

60 'fatebor aliquid tamen: ut, quom in sole ambulem, etiam si ego aliam ob causam ambulem, fieri natura tamen ut colorer, sic, quom istos libros ad Misenum . . studiosius *legerim,* sentio illorum tactu orationem meam quasi colorari'. legerim i, legero M. Quod Antonius de eo verba facit, quod iam expertus est, idcirco futurum tempus exactum amovendum est.

67 'Sed si illam quoque partem quaestionum (sc. de generum infinitis quaestionibus) oratori volumus *adiungere* . . ., adsumamus eam quoque partem, sed ita ut sit circumscripta modicis regionibus'. adiungere i, adiungimus Lg. 2. 32 M, adiungi coni. Frid. In 'adiungere' nihil offensionis est, 'adiungimus' autem ad 'volumus' videtur accommodatum esse, ergo non est, cur memoria attemptetur.

134 'Nam in ea ipsa causa, de qua ante dixi, *nil pertinet* ad oratoris locos Opimii persona, nihil Decii, de ipso *enim* universo genere infinita quaestio est, num poena videatur esse adficiendus qui civem . . interemerit . .' nihil pertinet i, ne pertineat M, ipso enim A E i, ipso vero H. 'ipso' scr. Frid., idem secl. 'nihil Decii'. Ne hic quidem Friderici ratio critica laudanda est, namque ut M lectionem 'ne pertineat' revocaret, immerito cum 'enim' seclusit tum 'nihil Decii', de quibus verbis utraque familia consonat. In vetustissimis codd. 'nil'

fuisse videtur non 'nihil', namque 'ne' sive 'nei' (cf. p. 50) ex 'nil' corrupta esse multo facilius intellegitur quam ex 'nihil'.

206 'sentimus amorem conciliari, si id *[in re] videare,* quod sit utile ipsis apud quos agas, defendere' id videare i, id in re videamus M, id velle videamur Lg. *32* e, id, iure Lg. 36 N, agas Mi, agamus coni. Frid. De 'videamus' inter doctos controversia non est, 'videamur' autem Fridericus ceteris editoribus plerisque dissentientibus vulgatae lectioni 'videare' praetulit neque, ne cum sequenti 'agas', quod in nullo libro non exstat, discreparet, 'agamus' coniciendo novare veritus est. Quod cum fecit, ipse et coniecturam suam 'agamus' damnavit neque 'videamur', quod in mutilis emendatis praebetur, probavit. Nos igitur in i permanebimus, nam bene se habent haec: 'si id videare quod sit utile ipsis apud quos agas defendere'. Sed quid de M 'in re'? Admodum otiosum videtur. An non omnia, de quibus sermo hic est, 'in re' i. e. in causa dicuntur? Itaque plerique 'in re' sustulerunt, Fridericus autem 'iure', quod quid sibi hic velit nescio, Lg. 36 teste dedit. Cum nemo explicarit, quo modo haec in textum irruissent, quid mihi visum sit, proferam. Olim in cod. pervetusto mutilorum familiae vocem 'videamus' exeuntem recte ita correctam esse opinor: uidea-
ł re
mus i. e. "uideamus vel uideare", litteras autem superscriptas tum scriptoris intra verba se insinuasse in aliis apographis aliter mutatas. *217* 'Ego vero, inquit (sc. Caesar), omni de re *facetius* puto *posse* ab homine non inurbano quam de *ipsis* facetiis disputari'. facetius p. posse i, facilius p. esse M Lg. *32*; ipsis i, ipsius M Lg. *32*, his ipsis cod. e. 'facetius' magis mihi arridet, quia hoc urbane dictum ('facetius de facetiis'), quamvis frigidum Ellendtio visum sit, tamen Caesari aptum videtur qui has similesque res doceat. Tum cum hic non admoneatur, ut de suis tantum ipsius facetiis disputet, sed de tota arte salis, 'ipsis' scribendum est. — Porro defendendi 'locutum' *II. 224* pro vulgata 'lotum' (locum M) et 'voluistis' *291* pro M 'voltis' otium mihi fecit Stroebelius (diss. p. 5 squ.).

238 'materies omnis ridiculorum est in iis vitiis quae sunt in vita hominum neque carorum . . neque eorum qui ob facinus

ad supplicium rapiendi videntur; eaque *belle agitata ridentur'*. i [eaque belle om. O add. O vet' bella P[1]], eaque belle agitari videntur M, ea quae cod. e, Lg. 32.

Res sane dilucida est: et inutile est quod M suppeditant neque vitium in i lectione neque quo modo M corruptela nata sit fugit. At Fridericus haec omnia quamvis sana 'eaque belle agitata ridentur' foras eicere maluit.

III. 7 'O fallacem hominum spem . . et inanis nostras contentiones! quae *medio* in spatio saepe franguntur et corruunt aut ante in ipso cursu obruuntur quam portum conspicere potuerunt'. mediocri in M, in medio i, medio in vulg. Stadium — id enim valet hic 'spatium' — non interest utrum longum sit an mediocre, sed gravissimum est currum in meta periculosissima quae stadii in medio est ante frangi quam ad calcem pervenerit.

12 'Ego vero te, Crasse, cum vitae flore tum mortis oportunitate divino consilio et *ortum* et extinctum esse arbitror'. ortum i, ornatum M Lg. 32. Si 'ornatum' comprobatur, fieri non potest, quin verba sic coniungantur 'te divino consilio cum vitae flore et ornatum tum mortis oportunitate et extinctum esse arbitror'; sed verbis 'vitae flore ornatum' non possunt duae hae particulae adici 'cum et' aut ceteris vocabulis illae 'tum et'. Immo haec iungenda sunt: 'te divino consilio et ornatum (sive 'ortum') et extinctum esse arbitror (i. e. iudico) cum vitae flore tum mortis oportunitate'. Verbis hoc modo inter se compositis 'ortum' recipiendum esse facile cognoveris. De 'te' enuntiati in initio posito cf. p. 73 sq. Haec in i recte servata loco plurium sint, alia multa vulgo comprobata hic coacervare taedet neque vero pauca denique ab eo ex i assumptum iri puto, qui denuo in hos libros edendos curam impendet studioseque in mente agitabit, quid quoque loco secundum scriptoris dicendi consuetudinem aptum sit conveniatque in verborum contextum. Qui alteri classi, quia haud paucis locis fidem habet, omnibus fere favet, etiam si sententiae ratione vetatur, is desinit munere fungi viri vere critici.

Caput V.

De ordine verborum.

Non multi adhuc observitarunt et docuerunt, quae pertinerent ad Tulli scientiam verba collocandi aut in orationibus aut aliis in scriptis.*) Nos autem neque ita diligenter quam artem adhibuerit exquisivisse nos confitemur ut eum decet qui huius sermonis elegantiae ac splendori operam det neque admodum multa huiusmodi de discrepantiis codd. a Friderico conlecta sunt. Atque his in libris universe hoc cognovisse interest Crassum eiusque convivas alio loco aliter loquentes induci: velut Antonius in laude eloquentiae (II. 33 sqq.) artificiosius verba inter se componit quam qui quando interpellant eius orationis cursum. Neque profecto liberius audaciusque posita sunt quae Nordenus (Ant. Kunstpr. I, 214, 1) ex orationibus quibusdam exscripsit quam haec quae Antonius sermocinans fit: II. 212 'Sed est *quaedam* in his duobus generibus, quorum alterum lene alterum vehemens esse volumus, difficilis ad distinguendum *similitudo*' aut 85 '*Tantum* ego in excellente oratore et eodem viro bono pono esse *ornamenti* universae civitati' aut 205 'quoniam haec fere maxume *sunt* in iudicum animis aut quiquomque illi erunt, apud quos agemus, oratione *molienda:* amor, odium . .'.

Sed nusquam cum numerus neglegatur, hyperbata artis propria desunt ne in sermonibus quidem inter longiores orationes interiectis minus artificiosis: ut Catulus II. 152 'Est, inquit, ut dicis, Antoni, ut plerique philosophi *nulla* tradant *praecepta* dicendi', eodemque loco 'plus enim te operae *Graecis* dedisse *rebus* video quam putaramus' et 362 '*magnam*que tibi habemus *gratiam*' ibidem '*magno* sum levatus *errore*' et Caesar ait: II. 16 'ut, si id mihi minus contingat, vel *hoc* sim *cotidiano* tuo sermone contentus'.

Ceterum verbum quoddam ut locis posterioribus inter substantivum et adiectivum interpositum — id quod Schmalzius

*) Nonnulla a Schmalzio (Lat. Gram. 1910[4] p. 649) allata sunt. cf. Ammann, I. F. XXIX. p. 1 sqq.

(Lat. Gram.[4] p. 644) dicit apud Ciceronem inveniri raro — admodum frequenter reperies: ut III. 25 'voluptates oblectant dispares', II. 131 'loci proderunt illi', 296 '(cum) eloquentiam laudaret tuam', 300 'suam significavit facultatem', 324 '(ut) reliqua incumbat oratio', 329 'totam occaecat rationem', 113 'Sed iam ad institutum revertar meum'.

Verum accuratius disputare Tullius quid in verbis collocandis ausus sit quaque de causa, nostrum non est, quoniam hoc suscepimus exquirendum, ubinam verum ordinem verborum in i servatum esse arbitremur ubique perversum.

Atque qui omnia, quae quidem Fridericus de hac re annotet, quamvis leviter examinarit, hoc ei statim sub oculos ceciderit tam saepe verba iungenda, quae in M non iniuria videantur separata, in i iuxta composita esse, ut id sine certo recensoris vel librarii consilio factum esse vix credibile sit. Eo enim animo, scilicet ut verba scriptoris faciliora essent ad intellegendum, quae insolentius in M collocata leguntur, secundum usitatiorem rationem composita sunt.

Velut II. 230 'Erat autem tanta in Domitio gravitas' M, in Domitio *tanta gravitas* i: at bene 'tanta' a voce 'gravitas ad quam spectat seiunctum est, quia praecipua vi efferendum est, aut in Crassi oratione concitatissima: 225 'quid illam anum patri nuntiare vis tuo?' M, nuntiare vis *tuo patri* i, 54 'addidit maiorem historiae sonum' M, historiae maiorem sonum i, III. 10 'quoi maerori . . etiam C. Carbonis . . mors fuisset nefaria'. M, mors nefaria fuisset i. 15 'maius ut quiddam de L. Crasso . . suspicentur' M, ut (et P) maius quiddam i.

Quocirca liberiorem M ordinem i tritiori semper praeferemus, dum modo ne plane stulte verba in M inter se seposita esse pateat, locis quoque huiusmodi, ubi minus aperta res est:

ut II. 344 'omnes . hae virtutes non ipsis tam, qui eas habent . . fructuosae putantur' M, non tam ipsis i, III. 180 'ex utraque tecti parte' M, ex utraque parte tecti i, 214 'quem tu melius, Catule, meministi' M, tu, Catule, melius i.

Verum id quoque hac re perspecta sine ulla dubitatione statuemus et iudicabimus, quibuscunque locis prorsus dubium sit, utra in codd. classi ordo verborum melius servatus sit, ad

M potius confugiendum esse quam ad i, quippe in quo verba a librario ad suum arbitrium passim traiecta esse demonstrarimus.

In universum hoc praefati pauca iam afferemus, quae aliis de causis in i mutata sunt.

Incuria scribae nonnunquam exeunte potissimum hoc scripto perstolide verba quaedam traiecta sunt ut

III. 153 'Inusitata sunt prisca . ac vetustate ab usu cotidiani sermonis iam diu intermissa, quae sunt poetarum licentiae liberiora quam nostrae'. prave i 'quae sunt intermissa'; 167 'pro Afris est sumpta Africa neque factumst verbum . . neque tralatum . ., sed ornandi causa proprium proprio commutatum'. proprium causa i; similia § 193 extrema, 210 media.

Aliis locis accidisse iam commemoravimus (p. 18 squ.), ut verba disturbarentur, ideo quod quaedam in M aut omissa aut depravata a librario cod. i sunt addita aut correcta.

Denique hoc omittendum non est pronomina in i tam crebro ante nomina collocata videri, etiamsi minor iis vis insit, ut de hac potissimum re cod. i fidei diffidere non alienum videatur, nisi quid gravius pro huiusmodi verborum collocationibus affertur.

Velut II. 122 'nihil quisquam . . egit orator quod non in *memoria mea* penitus insederit.' mea memoria i, I. 199 in versu Enniano 'summárum rérum incérti: quós ego ópe meá' mea ope i, II. 223 'iucunda illa perpetua' illa iucunda i, 316 'neque attendit eos ipsos unde hoc simile ducat *primas illas* hastas ita iactare leniter ut' illas primas hastas i, 130 'aperiamus *capita ea,* unde omnis . . disputatio ducitur' ea capita i, 213 'ad genus illud orationis' illud genus i, 291 'constituo quid habeat *causa quaeque* boni quid mali' quaeque causa i, III. 2 'commotus *oratione ea* quae ferebatur habita esse in contione' ea oratione i, 'ea' sane hic et alioquin postpositum est, cum pronomina pronominibus saepe alliciantur et attrahantur (cf. Delbrück, Vgld. Synt. III. p. 89). Quodsi huius rei causam quaesiveris, haud scio, an suae linguae neoitalicae consuetudine, ut pronomina nominibus anteponerent, adducti sint. Ne id quidem veri mihi dissimile

videtur et sua eos dialecto motos esse, ut liberiorem verborum ordinem aliquotiens tollerent (cf. p. 70).

At quid? omnino nunquam, qui cod. i conscripserunt, ordinem verborum meliore fide quam M tradiderunt? An nonnulla, quae huc pertineant, digna aut habita sunt aut nobis videntur, quae ut vera ex i in editiones recipiantur?

Atque nos, ut in prioribus iam capitibus fecimus, non omnia studebimus congerere, sed singulis rebus in genera quaedam discriptis operam dabimus, ut non multis exemplis allatis exponamus, quem ad modum de similibus rebus iudicandum nobis esse videatur.

Quattuor autem imprimis res Friderici quidem adnotatione critica perspecta idoneae visae sunt, quarum quasi ad regulam verborum ordo varie in codd. traditus iudicaretur.

Ac *primum* quidem, ut in exeuntibus sententiis incipiam, in recto ordine verborum constituendo adiuvamur *clausulis* observandis. De quibus quanquam magna inter doctos dissensio est, tamen hoc mihi concedetur clausulam heroicam, ubi potuit, vitatam esse, sane ubi orationis incisum est. Quare neque bene cod. i quidam confisi sunt velut II. 278 'qui cum in epilogo misericordiam se *movisse putaret,* postquam assedit rogavit' i, rectius 'movisse se' M = H, neque iure complures editores codd. M hisce locis:

II. 335 'Quae quia pugnare inter se *saepe videntur,* qui utilitatem defendit enumerabit' M, melius 'saepe inter se' i, 235 'sitne oratoris risum *velle movere' A* (altera manus) *e*, 'velle risum' Hi.

Quanquam agnosci necesse est Ciceronem ipsum in hanc malam clausulam interdum delapsum esse, scilicet ubi neque codd. fluctuant neque mutandi ulla causa est.

Itaque hic afferre mihi liceat eos locos, qui lectitanti mihi occurrerunt ubique merito mea quidem sententia incisionem quandam esse docti statuerunt.

II. 41 'Sequitur., quoniam nobis est hic . . in foro . . *constituendus,* ut . .', 99 'hoc . . *praecipiemus,* quascunque causas erit acturus, ut', 121 'ut..animi et doceantur *et moveantur'*; 124 'perge ut *instituisti'*. 148 '(ut) verba omnia *excipiamus,* voltus denique

perspiciamus omnis', 160 'ad dicendi artem quam ille *despiciebat,* pertinebant', 179 'Paulum . . deesse videtur iis rebus . quas *exposuisti,* quod sit . . explicandum', 204 'quaeque . spect*are solemus'*. 301 'permulta sunt . . *circumspicienda,* ne quid offendas', III. 3 'ipsum *a se superatum'*.

Minus fortasse haereas in his ubi vocis accentus non in eam syllabam incidit quae clausulae numero acuitur: ut II. 46 'si non habuerit, sapien*ter caruisse',* 181 'si . . vim . . in re . . comproban*da posuissem'*.

Ne vero in malis clausulis numeretur: III. 79 'artium *relicuarum',* aut pr. Planc. 80 'omnium relicuarum'. Ut enim 'relicuos' Plauti temporibus semper aut saepe quattuor syllabarum fuisse constat (cf. Havet, rev. de phil. 1893 p. 157, Lindsay-N. p. 99), ita Ciceronis aetate. Scribere autem 'relliquos' ut Thaddaeus Zielinski voluit (Phil. suppl. IX. p. 767) et analogia sermonis Plautini et codd. scriptura vetamur. 'relliquiae' versus hexametri numero coacti poetae adhibuerunt.– Sed si legitur II. 18 'ne nomen quidem ei vitio *imposuerunt'* et 174 'Haec ut brevissime dici *potuerunt,* ita a me dicta sunt', facile suspiceris brevi littera E 'imposuerunt' et 'potuerunt' pronuntiata esse, nisi forte vulgaris tantummodo sermonis huiusmodi formae propriae sunt (Lindsay-N. p. 611, Sommer, Lat. Laut- u. Formenl. p. 145). Denique in verbis ut 'praecipiemus', 'excipiamus', 'despiciebat' quae supra attulimus putari potest litteram J vocalem quandam praecedentem interdum in consonantis potestatem transisse. Namque mirum est plerasque quas collegimus clausulas heroicas exire complurium syllabarum in nomina, quarum una facile intercidere potuit.

Huc addo meliorem nos clausulam adipisci cod. i auctoritatem secutos: II. 233 '(ut) tibi causam aliquam dem recusandi' i (— ᴗ — — —), recusandi dem M, et 293 '(ut) omnia in illum conferam tela' i, tela conferam M clausula minus usitata. —

Deinde ineuntibus sententiis voculae encliticae (cf. Lindsay-N. p. 191 squ.) quem ad modum collocandae sint, animadvertendum est, de quibus lectores ad Wackernageli commentationem nobilem (I. F. I. p. 333 sqq.) relegare vix opus est.

Constat enim voces encliticas locum primo enuntiati vo-

cabulo quam proximum occupare solere, primum enim vocabulum nunquam ex antiquissimis temporibus vim non habet. Ut in his libris unanimo codd. consensu exstat: II. 159 'Hic *nos* igitur Stoicus iste nihil adiuvat', 131 'Subacto *mihi* ingenio opus est', III. 1 'Instituenti *mihi,*' II. 202 'quam *tibi* primum munisti . . viam,' III. 4 'Non *tibi* illa sunt caedenda', ac codice H (AE desunt) solo auctore II. 15 'quaequomque *vos* causa huc attulisset.' M = H, causa vos i. Neque vero minore iure ex i recipienda haec esse statuo:

II. 39 'ita <*mi*> vim oratoris . exprimere subtiliter visus es' mihi i om. M, 'ita vim mi' transposuit Stanglius (Tull. p. 54), sed 'mi' tam facile ante 'vim' collocatum intercidere potuit quam postpositum. 360 'Vidi *ego* enim summos homines' i, enim ego M. Wackern. l. l. p. 413 „Übrigens ist auch das aufs Verb unmittelbar folgende ego, tu . . . gewiß als wesentlich enklitisch zu fassen."

Tum saepe voces encliticae si non locum primae voci quam proximum tenent, inter verba coniungenda se inferunt (Wackern. l. l. p. 408). Quod genus haec sunt, de quibus lis non est: II. 75 'respondisse fertur multos *se* deliros senes . .vidisse', 86 'quod alterum divinitatis *mihi* cuiusdam videtur', ubi facile id quoque fit, ut voculae interiectam praecedenti maior quaedam vis indatur. Cod. i autem teste verba sic collocanda esse propono: II. 144 'neque aequo *id* animo feret civitas', id aequo M.

Tum ne figurae ornamentaque orationis praetermittantur sicut anaphora haec optima quae in M quidem codd. corrupta est: III. 8 'Non vidit flagrantem *bello Italiam,* <non> ardentem invidia senatum, non sceleris nefarii principes civitatis reos' i, 'Italiam bello' om. 'non' M.

Neque vero utrum anaphora praeferenda sit an chiasmus qui dicitur, argumentis probari potest velut II. 23 'negotiis forensibus atque urbano opere defessi' M, forensibus negotiis i (cf. I. 1 'forensium rerum', pr. Sulla 11 'forensis labor', et II. 55 'causis forensibus'), hic meliorem M fidem sequi satius esse iam diximus (p. 71).

Postremum spectandum est, si cui voci maior vis attri-

buenda est, eam alio modo collocari solere atque usu venit. Hoc ad eligendum inter varias lectiones non inutile videtur velut hoc loco, quo redeundum esse ad i arbitror:

III. 2 'quem (sc. Philippum) dixisse constabat videndum sibi *aliud* esse consilium, illo senatu se rem publicam gerere non posse' i, esse aliud M. Omnis vis prioris enuntiati quod ex oratione Philippi sumptum videtur sicut alterum ἀσυνδέτως coniunctum, est in voce 'aliud' qua voce paene tota illa rei publicae perturbatio videtur contineri. Denique scribendum esse: II. 288 'Sed haec ipsa nimis mihi videor multa in genera discripsisse' i, non 'nimis mihi videor in multa' M Ellendtius dixit, 'nimis' enim male seiungitur a 'multa', quo spectat, praepositione interiecta. Similiter res se habet III. 4 'Quo quidem ipso in loco' i, quo quidem in ipso M.

Conclusio.

Respiciamus nunc ad ea in quibus versati laborem consumpsimus, animoque perlustremus quae alii melius nobis de omnibus quicunque servantur mss. docti perfecturi sint. Hoc nobis propositum esse voluimus, ut quid fidei atque auctoritatis codd. O et P attribuendum esset, exploraremus. Atque postea quam neutrum cod. ex ipso L fluxisse posuimus — id quod iam dudum Stanglius aliique ostenderunt —, sed inter vetustissimum hunc atque illos apographon interesse nota i a nobis signatum, ex quo originem duxissent, dedita opera perquisivimus, quanam ratione in hoc cod. i conficiendo, qui inter prima exemplaria numerandus est integra, Barziza aut, quisquis fuit, usus sit. Probavisse autem nobis videmur hunc virum, utpote cui et L et cod. quidam mutilus aut huius familiae complures in manibus essent, in scribendo modo integrum exemplar modo mutilum secutum modo utroque reiecto verba de suo penu supponere aut suopte arbitrio testata mutare aequum duxisse. Itaque cum M archetypus aut archetypi a scribis ut inertibus ita religiosis transcripti sint, cod. i editionis non optime criticae similitudinem habet.

Qua re posita et nostrum esse patet in singulis lectionibus studiose exquirere utro ex exemplari delibatae sint an recensoris ingenio debeantur, et quanti cod. i aestimandus sit, apparet: plurimum valet, quia in eo recensendo L vetustissimus quamvis corruptelis gravatus adhibitus est. Ac profecto permulti loci in M graviter vexati teste i sanantur. Sed ut cum alii tum Fridericus parum cod. i confisus a vera nonnunquam oratione Tulliana deerravit, ita nimis eum in textu restituendo aestimare non licet. Neque enim librarium vel correxisse vel mutavisse nunc scientem nunc invitum obliviscendum est et pauca quae in codd. m interpolatis et emendatis vitiose eaque aliter atque in M antiquioribus scripta sunt, eodem modo vitiata in i inveniri tenendum.

Itaque fieri non potest, ut qui hos libros editurus est, m praetereat, ex quibus Lg. 32 tantum Spyridone Vassis auctore accuratius cognovimus. Namque si verba quaedam in M omissa eodem modo in m leguntur quo in i, facile colligitur ea ut ex m in i assumpta nullius momenti esse, nisi forte felici ingenio facilique opera suppleri potuerunt. Idem vero ad omnes mutationes valet. Qua in re id posui codices m, ut de cod. e quidem satis constat, de aliis haud scio an ostendi possit, ex isdem codd. M originem duxisse, quos nos habemus. L vero cod. i restituto nunc quidem recuperare non possumus, collatis autem aliis integris, quos ex i derivatos non esse constet, melius de illo fiet iudicium. Cuius de scriptura cod. i uno usi exemplo admodum pauca cognovimus, cum easdem litteras raro inter se mutatas, scribendi vero rationem a doctis ad sui aevi consuetudines accommodatam esse statuerimus.

Deinde docti, ubi verba scriptoris ultro immutaverunt, sane id potissimum egerunt, ut textum emendatiorem redderent magisque iis qui legerent acceptum; itaque insolentes voces tritioribus formaeque obsoletae usitatis immutatae sunt aut quae verba iungenda in exemplari aut exemplaribus separata erant, iuxta posita neque alio consilio nunc praepositiones, nunc particulae, nunc pronomina supposita. Omissa sunt autem verba multo rarius quam in M incuria librari potius quam ratione ac mente eaque illis imprimis locis ubi lectiones utriusque exem-

plaris et laceri discerptique et sani inter se confusae sunt. Neque vero mediocris copia in i continetur lectionum antiquissimarum, quibus munus textus restituendi valde levatur. Ex altera parte vitia respicienda sunt editori quibus laborant M: verborum omissiones paene innumerae nonnullaeque additiones, denique observandum est quam diligentissime, quae litterae saepius turbam dederint aut in quibus scripturae compendiis peccatum sit. Neque enim, qui his libris edendis denuo operam dabit, omnem fidem in altera codd. familia reperiet, sed ut alter Zeuxis quae optima in utraque praebentur eliget, ut propius quam priores accedat ad eum quem Cicero ipse ediderit textum.

Appendix.

De locis quibusdam difficilioribus.

III. 144 vulgo ita fere legitur: 'Tum Cotta: „Equidem, inquit, Crasse, non possum queri, quod mihi videare aliud quiddam et non id quod susceperis disputasse; plus enim aliquanto attulisti quam tibi erat attributum a nobis ac denuntiatum. Sed certe *ut* eae partes *fuerunt* tuae, de inlustranda oratione ut diceres, et eras ipse iam ingressus atque in quattuor partis omnem orationis laudem discripseras: *cum de* duabus primis nobis quidem satis, sed, ut ipse dicebas, celeriter exigueque dixisses, duas tibi reliquas feceras, quem ad modum primum ornate, deinde etiam apte diceremus: (145) quo cum ingressus esses, repente te quasi quidam aestus ingeni tui procul a terra abripuit atque in altum a conspectu paene omnium abstraxit.' vs. 5 ut om. i, fuerant de i, uti O vet', 7 cumque duabus M, cum de duabus cod. e, cum duabus de lo, cum duabus Lg. 32, cumque de duabus i (cf. p. 47).

Haec ut defenderet ostenderetque, quomodo accipi vellet, Ellendtius magno cum omnium aut certe plurimorum consensu haec explanavit (I. p. 522): „'ut' (vs. 5) est „quem ad modum", „sicut" et duplicem ille verborum circuitus protasin habet, binorum membrorum utramque. Una est 'sed ut fuerunt — et (sc. ut) eras ingressus atque discripseras,' altera 'cum — satis', 'sed —

celeriter dixisses.' Videbis verba sic componendo: 'ut hae partes fuerunt tuae — ut diceres: duas tibi reliquas feceras, cum de duabus — dixisses.'"

At mihi non persuasit his de causis.

Primum quidem offensione non vacat, quod 'cum' (de duabus vs. 7) ex cod. e recipitur, 'cumque' autem et in M et in i legitur. Ea vero, de quibus utraque codd. classis consentit, retinenda sunt eo magis, quo plus inter alia interest. Deinde fere absonum in modum consuta sunt haec: 'ut . . fuerunt . . et eras . . ingressus atque . . discripseras', quia tempora plusquamperfecta non bene consonant cum perfecto. Tum ista anacoluthia, quae dicitur, ita incondita et mutila videtur, ut a subtili sermone abhorreat. Iam contra dicitur hunc fere in modum:

„Tute negas his in libris unquam sermonem hiare?" Immo optime teneo interdum ut II. 63, III. 3 et 98 (cf. Pid.) licentiam quandam compositionis admitti, sane ut cotidiani sermonis oratio similior sit. Neque vero quod hic ab editoribus comprobatur, eiusdem farinae est, sed ita durum et rude, ut vix intellegatur, nisi latae et verbosae explicationes dantur.

Quae cum ita sint, quin quaerimus, meliusne integri exhibeant? Ibi haec exarata sunt: 'sed certe eae partes fuerant <tuae>, de inlustranda oratione uti diceres, et eras ipse iam ingressus atque in quattuor partes omnem orationis laudem discripseras, cumque de duabus primis . . . dixisses, duas tibi reliquas feceras. . .'

Haec ita, praeterquam quod vocabulum 'tuae' omissum est, in i scripta sunt: dilucide laxeque, sicut loqui solet, quicunque non ad artem aspirat, inter se annexa sunt tempora plusquamperfecta 'fuerant . . et eras . ingressus . atque . discripseras cumque . . dixisses, reliquas feceras', neque quicquam est, nisi amor me fallit negoti suscepti, in quo offendamus. Ergo scribarum incuria in M non solum 'de' excidit, ut vulgo conceditur, sed etiam corruptum est 'fuerunt' ex 'fuerant'. Vox 'ut' autem nescio an ita irrepserit: in cod. O verbis 'ut diceres' (l. 5) in margine ex 'cod. vetustissimo' (vet') ascriptum est 'uti', quo verbo clausula praestantior praebetur. Fortasse 'uti', cum eodem modo olim in M adscriptum in verborum contextum in-

vasisset, mutatum est in 'ut' (cf. p. 67). Sed de hac re dubitari potest. Certe non infitiandum est locum qui implicatior Ellendtio visus sit, facile explicari, si i sequi audemus.

Plurimum editoris quem speramus interest, quid de *II. 268* diiudicandum sit, ubi qui ediderunt hos libros oratorios inde ab Ernesto ad unum consenserunt omnes inter se verborum eam complexionem quae in omnibus mss. eodem modo scripta exstet, non recte traditam esse, dissenserunt, utrum esset mutanda an plane delenda.

Haec sunt in codd.:

'Arguta etiam significatio est, cum parva re et saepe verbo res obscura et latens inlustratur, ut cum C. Fabricio P. Cornelius homo, ut existimabatur, avarus et furax, sed egregie fortis et bonus imperator, gratias ageret, quod se <homo om. M> inimicus consulem fecisset bello praesertim magno et gravi: "Nihil est quod mihi gratias agas, inquit, si malui compilari quam venire", ut Asello Africanus obicienti lustrum illud infelix: "Noli, inquit, mirari; is enim, qui te ex aerariis exemit, lustrum condidit et taurum immolavit." *Tanta suspicio est, ut religione civitatem obstrinxisse videatur Mummius, quod Asellum ignominia levarit'.*

12 Tanta — levarit secl. Ernesti tacita coni. Schuetzius, quem Wilkinsius secutus est lectione gravissima ne in apparatu quidem critico adnotata.

Qua de re paragrapho exeunte agatur, patet (cf. Muenzer, P. W. IV. 1451 sq., Marx. Rh. M. XXXIV. p. 65 squ. et ad Lucil. vs. 395 sq.). Scipio Aemilianus censor anno a. Chr. n. 142 nescio qua de causa Ti. Claud. Asellum tribu movit, quem Mummius conlega cui alterius notam demere et rescindere licebat, ignominia levavit. Deinde, cum pestilentia Romae eodem tempore grassari coepisset, quo Mummius, cui id sorte obvenerat, suovetaurilibus populum lustrarat, Scipioni ex oriente reverso anno 140 Asellus diem dixit ad populum plebis tribunus.

'Scipiadae magno improbus obiciebat Asellus
Lustrum illo censore malum infelixque fuisse',

ut ait Lucilius (395 sq. M.), tanquam propter illum dei morbum

immisissent. Unius ex quinque orationibus, quas in hac causa habuit Paulli filius, haec sunt: 'Noli mirari; is enim qui te ex aerariis exemit, lustrum condidit et taurum immolavit'. Sed ea quae sequuntur: 'Tanta suspicio est, ut religione civitatem obstrinxisse videatur Mummius, quod Asellum ignominia levarit' Ernestius primus veritus est, ne interpolata essent alio argumento non prolato nisi quod haec non intellegeret. Neque pauci eum secuti secluserunt. At unde gentium nefarius iste interpolator eum, qui Asellum exemit ex aerariis, Mummium fuisse cognovit, cuius nomen nullo alio loco in his tribus libris invenitur? Nonne verba 'religione obstringere' et 'ignominia levare' ita non vulgaria sunt, ut optima et harum rerum sint propria? (cf. Pid. ad l.) Non mirum est nullas turbas esse in codd. qui cuncti haec eodem modo scripta exhibent?

Alii suo iure rati non feliciter Reinholdum Klotzium (quaest. Tull. 1830, p. 30 squ.) vulgatae patrocinatum esse qui verteret: „So weit geht der *Argwohn,* daß Mummius . . verwickelt haben soll", ista non subditicia, sed depravata esse sibi persuadere maluerunt. Hi vero velut 'tacita' Schuetzio acceptum referentes in textu posuerunt. Sed talis constructio non minus ab elegantia quam ab usu reiectanea est. Nullo enim loco, ut saepenumero expositum est, plane eodem modo pronomine non adiecto dici videtur: 'suspicio est ut' (cf. Sor. p. 205, Klotz p. 31, Pid. a. l.).

Quid igitur? Desperandumst de hoc loco explicando? Simpliciorem rem esse puto quam cogitaverunt neque difficiliorem intellectu. Haec velim legas quae de significatione exponit auct. ad Her. IV. 53. 67:

'Significatio est res, quae plus *in suspicione* relinquit, quam positum est in oratione. Ea fit per exsuperationem, ambiguum, consequentiam . . . Per consequentiam significatio fit, cum res, quae sequantur aliquam rem, dicuntur, ex quibus tota res relinquitur in suspicione; ut si salsamentari filio dicas: „Quiesce tu, cuius pater cubitis emungi solebat".'

'Suspicio' igitur hic quoque, ubi eadem significatio*) i. e.

*) Pideritus vertit significationem „Deutung", sed idem est atque nostrum „Andeutung".

ἔμφασις (cf. Quint. IX. 2. 3) tractatur, artis oratoriae propria est. Scipio simpliciter dicit non se, sed eum lustrasse, qui ex aerariis Asellum exemerit Mummi nomine tacito. His verbis se purgare tantum videtur, sed maior est significatio quam oratio (or. 139) et plura relinquuntur eorum qui audiunt in coniectura sive suspicione — etenim ea vis huc cadit — atque tanta inde surgit, ut omnibus rei non plane ignaris videatur hoc dicere Mummium, *ideo quod* eum restituerit, religione obstrinxisse civitatem, ita ut Asellus dicatur omnium esse turpissimus, improbissimus, scelestissimus.

Itaque Caesar haec addens inducitur, non ut audientibus historiam accuratius explanet, sed ut exemplo melius ostendat, quae significationis natura sit. Haud secus Quintilianus IX. 2. 64 de significationis figura agens eodem tempore praesenti usus exemplo suo quaedam adiicit, ut magis conspicuum fiat, quid sibi velit.

Iam satis apparere opinor, cur Tullius ipse, non grammaticus quidam apposuerit: 'Tanta suspicio est', e. q. s. quae ita verto:

„So viel ahnt (der Hörer), daß es (für ihn) den Anschein hat, als habe Mummius den Staat in einen Religionsfrevel verwickelt, weil er dem Asellus die bürgerlichen Ehrenrechte wieder verliehen habe."

II. 193 'Sed, ut dixi, ne hoc (sc. oratori inflammato animo in dicendo opus esse) in nobis mirum esse videatur, quid potest esse tam fictum quam versus, quam scaena, quam fabulae? Tamen in hoc genere saepe ipse vidi, ut ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur *spondalli* illa dicentis:

Segregare abs te ausus aut sine illo Salamina ingredi?
Neque paternum aspectum es veritus?

Nunquam illum "aspectum" dicebat, quin mihi Telamo iratus furere luctu filii videretur; at idem inflexa ad miserabilem sonum voce:

quem aetate exacta indigem
Liberum lacerasti orbasti extinxti; neque fratris necis
Neque eius gnati parvi, qui tibi in tutelamst traditus —

flens ac lugens dicere videbatur. Quae si ille histrio, cotidie quom

ageret, tamen recte agere sine dolore non poterat, quid Pacuvium putatis in scribendo leni animo ac remisso fuisse?'

5 spondalli M, spondalia i, plerique Lg.
spondaulia Salmasius.
e sponda illa G. Hermannus (op. I. 304)
sponte aliena illa Madvigius (adv. crit. III. 91)
splendida illa Ribbeckius tr. fr.[3] vss. 327 squ.
pompalia Bergkius Phil. XXXI. 242
sua sponte aliena illa Jeepius Phil. IV. 305
e suo aliena Harneckerus
squalida illa Stanglius (Woch. f. kl. Phil. 1903. 98)

Etsi permulti praeclara doctrina ornati huic loco gravissimis ut videtur mendis infecto operam navarunt, a plerisque tamen usque adhuc cruce desperationis signatus est. Namque quaecunque coniecerunt, aut multum absunt a mss. aut sententiam paene otiosam exhibent. Ne id quidem, quod Stanglius nuper proposuit, lucem afferre mihi videtur. De aliis coniecturis lectores relegare satis habeo ad ea quae Henrichsenus et Wi.[1] optimo iure contra dixerunt. Nos vero denuo medicinam quandam sumus allaturi.

Hoc mihi constat bene esse illa dicta: 'vidi, ut ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur . . illa dicentis', in quibus verbis luctu ille furere videbatur, cum flens et lugens diceret qui sequuntur versiculos. Neque quicquam videtur desiderari. Sed valde miror referri de certo quodam histrione — id quod et ex tempore imperfecto 'dicebat' colligitur et ex verbis 'idem' ac 'ille histrio' — idque de histrione, qui certe perbene agebat, non addito illius *nomine*.

Kuehnerus ita vertit: „wie mir die Augen *des* Schauspielers aus seiner Maske hervorzuglühen schienen“ (Stuttg. 1858, p. 205), sed quaero cuiusnam histrionis oculi sint. An putas a Pacuvi usque ad Tulli aetatem — etenim Ciceronis aequalibus haec legenda erant—a nullo alio Telamonis partes obtentas esse? aut unumquemque qui eius partes ageret ita furere visum esse, ita lugere? Nomen autem hic exstitisse confirmatur collato Tusc. IV. 55, ubi e contraria parte idem disseritur: 'Oratorem vero irasci minime decet, simulare non dedecet. An tibi

irasci tum videmur, quom quid in causis acrius et vehementius dicimus? Quid? quom iam rebus transactis et praeteritis orationes scribimus, num irati scribimus? "Ecquis hoc animadvertit? vincite!" num aut egisse unquam iratum *Aesopum* aut scripsisse existimamus iratum Accium?' Opponi bene huius quem ignoramus nomen Telamonis, cuius partes agit, nomini facile cognoscitur.

Ac re vera latet nisi fallor casus genitivus nominis cuiusdam proprii in litteris 'spondalli', 'spondalia' autem ad similitudinem vocis subsequentis 'illa' accommodatum esse puto. Iam increpantem quendam audire videor: „Tune verba 'hominis histrionis' antecedere tibi persuasisti nomen proprium?" Mihi assentatus erit opinor, quivis hoc legerit: 'Nos hic cum *homine gladiatore* omnium nequissimo, conlega nostro, *Antonio* bellum gerimus, sed non pari condicione, contra arma verbis' (ep. fam. XII. 22. 1; cf. et p. 69 squ.).

Loco vero allato ideo 'hominis histrionis' praepositum esse opinor, ut praedicetur oculos illius etiamsi histrio tantummodo iram imitaretur, videri tamen ardere.

Quae cum ita sint, vacillantes nactos esse confido quo figere pedem liceat, si in 'spondalli' genitivum casum nominis cuiusdam abditum esse dicimus.

At cuiusnam? Si mss. prorsus fidem abrogantes in utraque familia corruptum id esse iudicamus, fieri posse vix credo, ut coniectando verum inveniamus. Neque enim multorum histrionum Romanorum novimus nomina, paucissimorum vero antiquioris aetatis. Ex altera parte infitiandum non est saepissime nomina propria depravari ut II. 262 'heluius' C pro 'Aelius', 266 'tertio pauario' M 'testio penario' i pro 'Tito Pinario', 268 'alesium' M pro 'Asellum'. Sed conemur fiduciam habere, quoad deceptos nos esse nescimus.

Cum Latini nominis instar esse non videatur, quaeramus, Graecone more fictum sit. Plerisque enim artificibus qui artem ludicram apud Romanos faciebant, nomina fuisse Graeca notum est. Inter eos, de quibus traditum sit, Aesopi sunt, Pamphili, Diphili, Spintheres, Amphiones, Antiphontes

antiquioris, Demetrii, Prothymi, Stratocles, Antiochi, Haemi, Carpophori, Zosimi, Hilari, Phocaei recentioris aetatis.

Neque autem raro aut in inscriptionibus Graeci sive Latini sermonis aut apud scriptores Graecos nomina propria aut cognomina inveniuntur et quae ex verbo *σπένδω* derivata sunt ut:

Σπένδων, Spendo (I. G. IX. 2, 30. 6, Plut. Lyc. 28, C. I. L. VIII. 4072. cogn.)

Σπένδουσα, Spendusa: I. G. IX. 2, 967, C. J. L. IX. 3466, cogn.
Σπενδοφόρος, Spendophorus: C. I. L. V. 166
Σπένδιος, Spendius: Pol. I. 69—86.
Spendia: C. I. L. IX. 1049.
et quae ad verbum substantivum *σπονδή* spectant ut:
Σπονδή Sponde: I. G. IX. 2, 1033, C. I. L. II. 1157.
Σπόνδος: I. G. XII. 8, 167. 2
Σπόνδιος: Dio Sic. 25. 9

Σπόνδαος (Styra S. G. D. I. 5345. 45) forma dialecti Jonicae propria pro *Σπονδαῖος* sicut *Τίμαος* (S. G. D. I. 5345. 46) pro *Τιμαῖος*.

Atque sicut ex *τιμή* originem repetit nomen proprium *Τίμαλλος* (Bechtel, griech. Personenn. p. 265 sq.), ex *κόμη*: *Κομαλλίς* (l. l. p. 172), ex *ἀγορά*: *Ἀγόραλλος* (l. l. p. 43), ita ex *σπονδή* potest duci *Σπόνδαλλος*, cuius nominis casus genetivus in M exstat ('spondalli').

Hoc deminutivum vero, cum in inscriptionibus quantum scio adhuc inventum non sit, impraesentiarum existimare tutius mihi videtur in libris fuisse nomen Spondaei i. e. *Σπονδαῖος*, ex SPONDAEI vero depravatum esse SPONDALI. —

II. 367 scriptum est in M:

(366) 'Verba igitur, inquit Crassus, mihi reliquit Antonius, rem ipse sumpsit'. (367) Tum Caesar: "Si quod difficilius est <id> tibi reliquit, est nobis, inquit, causa cur te audire cupiamus; sin quod facilius, tibi causa non est cur recuses". Et Catulus: „Quid? quod dixisti, inquit, Crasse, si <hic> hodie apud te maneremus, te morem nobis esse gesturum, nihilne ad fidem tuam putas pertinere?" Tum Cotta ridens: "Possem tibi, inquit, Crasse concedere; sed vide ne quid Catulus attulerit religionis;

hoc opus censorium est. Id autem committere vides *quam sit homini censorio . . . .*" „Agite vero, <ille> inquit, ut voltis".

adnotatio critica:

vs. 3 id om. M

5 hic om. M

9/10 'sit' H, om. A E, Lg. 2. 4. 13. 36. 32 add.

'sit homini turpe censorio' i

post 'censorio' in H 12 litt., A 14 litt. spatium vacat. Lg. 4, e 'censorio conveniat', Lg. 32. add. 'inquit'

Lg. int. plerique 'turpe censorio inquit'

Stangl. (Tull. p. 56) transposuit: 'quam conveniat homini censorio'.

ille om. M. (cf. Madv. de fin. II. 11, Jahn-Kroll[5], Cic. Brut.91.)

Huius libri extrema pars tanta festivitate et hilaritate conspersa est, ut unicuique Atticae gratiae in mentem veniat. Crassus enim, qui paulo ante si minus promiserat, at tamen non negaverat eum oratorem, quem Antonius finxisset et creasset, vestiturum se esse et ornaturum, id est de elocutione disserturum, nunc quicquam ab illo sibi relictum esse negat, sed ab amicis oratur atque obsecratur, ut tandem efficiat, quod promiserit.

Antequam ea, quae sequuntur, explicamus, pauca, quae in aliis libris manuscriptis aliter tradita sint, tanquam ad obrussam exigenda sunt. Namque de verbis Cottae extremis, quae attuli, libri et editores in diversas partes discesserunt.

Atque verbum 'sit' in codice H exstat, in ceteris mutilis vetustioribus omissum est et spatio vacuo post vocem 'censorio' relicto 12 litterarum in H, 14 in A enuntiatum iam horum in archetypo mancum fuisse aut certe minus clare exaratum ostenditur.

Quae cum ita sint, verbum 'conveniat', quo haec lacuna in codice e suppletur, quanti ponderandum sit, mihi dubium non videtur. Namque cum librum e ex A manavisse constet (Frid. adn. cr. p. VI, Stroeb. diss. p. 54 et 58, Burs. 80. 186), qui fieri potest, ut verbum quoddam pessumdatum in vetustioribus exemplaribus in exemplo recentioris aevi conservatum sit? Huc accedit, quod 'conveniat' et 'sit', quod in H inveniri iam

diximus, inter se pugnant. Neque potiore fide digni sunt Lg. 4 et 32, quorum parens idem codex A*) videtur esse sive alius ex illis vetustioribus. In altero autem 'censorio conveniat' exaratum est, in altero 'censorio conveniat inquit'. Quorum in posteriore 'inquit', quod sensu cassum est, insertum esse, ut spatium vacuum in exemplari relictum melius referciretur (c̄veniat inquit = 13 litt.), veri similius esse mihi quidem videtur quam ex 'c̄veniat' corruptum (sic Ell. I. p. 436, Stangl., Tull. p. 56). Nam quod nonnunquam 'ignoscant' pro 'c̄gnoscant' et 'ītulerunt' pro 'c̄tulerunt' ponitur (cf. Marx, proll. ad auct. ad Her. p. 28), hoc pernimium, opinor, abest ab 'inquit' et 'c̄veniat' inter se mutatis. Notatu dignum est additicium illud 'inquit' inveniri et in Lg. quibusdam integris, qui OP sequi solent, ubi exstat: 'quam sit turpe homini censorio inquit'. Vix mentionem fieri opus est clausulam 'censorio conveniat' in pessimis numerari, quas caute Cicero consuevit evitare (Zielinski, Philol. suppl. IX. 748 sqq.).

Reiciendum ergo est illud 'conveniat' initiumque faciendum sententiae restituendae a voce 'sit' quod non solum in H exaratum est, verum etiam in i et omnibus fere Lg. integris. Atque cum in mutilis sententia extrema interierit, contigit, ut in i tota sit, ubi verbum adiectivum 'turpe' voculae 'sit' appositum est.

Quod autem et spatia maiora, 12 sive 14 litterarum dico, in H et A patent neque ante, sed post vocem 'censorio', prorsus non impedimur, quin existimemus eandem voculam 'turpe' in codice quodam pervetusto mutilorum familiae quondam fuisse. Namque et saepius maior hiat lacuna (cf. p. 26sq.) neque semper iusto in loco (cf. p. 27).

Age examinemus id, quod in i servatur, neque a veritate afuturum esse spero.

Crassus promissi oblitus a Cotta admonetur, ut caveat, ne Catulus quid religionis attulerit. Si enim ius iurandum neglectum esse relatum sit, notare hoc opus esse censorium. Namque nulla de re, ut ait hic de off. III. 111, censores diligentius iudicabant quam de iure iurando. Id autem committere, scilicet

*) Frideric. adn. cr. p. VI, Courbaud. p. LX.

quod censoris nota dignum sit, ipsum videre, quam turpe sit homini censorio.*)

Quam facete dictum est eum, qui anno ante hunc sermonem fictum censura functus cum alios, tum rhetores Latinos, qui vocabantur, notaverat (cf. Pid. I, p. 23 et ad l.) in periculo esse, ne ipse notetur, nisi promisso soluto de elocutione disputet, quae artis illorum erat.

Eleganter dicretico clauditur ('turpe censorio') atque optime, ut maior vis et gravitas inesset, vox 'censorio' in extrema parte posita est. In hyperbato autem 'homini turpe censorio' non offendo. Namque quanquam verborum ordinem in i saepe inversum esse diximus (p. 18 sq.) cum quaedam adderentur, tamen verba similiter collocata et in sententiis inter longiores orationes interiectis inveniri supra commemoravimus (p. 69 sq.).

Quod vero Ellendtius (II. 342) „vulgarem scripturam" scilicet 'vides quam sit homini turpe censorio' reprehendit, quae tam turpiter inurbana sit, ut Crassum graviter offensura fuerit, non occurrisse viro optime de his libris merito videtur adulescentem non serio loqui, sed 'ridentem'. Hic mucro sermonis est: dicto hoc dicaciter neque sine aculeo finis tandem fit altercandi, iam indulget senex gravissimus diu tergiversatus.

Fridericus, etsi illud 'conveniat' per omnes, puto, editiones inde ab Ellendtio propagatum non probandum atque 'sit' retinendum esse suo iure iudicat, tamen sive plura verba sive 'aptum' aut simile aliquid excidisse mavult quam i sequi cuius lectionem probasse nobis videmur.

*) cf. Gell. IV. 12 'Si quis agrum suum passus fuerat sor descere . . . — non id sine poena fuit, sed erat *opus censorium* censoresque aerarium faciebant'.



Index locorum.

Index rerum et verborum.

Vita.

Ludovicus Meister natus sum Lipsiae a. d. XIV Kal. Jun. 1889 patre Ricardo gymnasii Nicolaitani conrectore, matre Klotilda ex gente Eckardt oriunda. Fidei addictus sum evangelicae. Ab anno 1899 per octo annos scholam Nicolaitanam Lipsiensem frequentavi, ubi cum multos praeceptores tum Baunackios fratres patremque meum optime de me esse meritos semper meminero. Maturitatis testimonium adeptus inde ab anno 1907 universitatem Gottingensem adii, in qua per duo semestria, studiis philologis navavi, scholisque interfui quas habuerunt venerabiles professores Leo, G. Meyer, Pohlenz, Schwartz, Wackernagel, Wellhausen. Tum postquam militavi, per unum semestre Lipsiae studiis obsecutus in numerum civium academicorum Berolinensium receptus sum, unde tribus semestribus post Lipsiam reverti. Docuerunt me Lipsiae Berolinique doctissimi de Bahder Bethe Brugmann Diels Heinze Hirschfeld Lueders Carolus frater Norden Riehl Roethe G. Schulze Sievers Studniczka Wilamowitz de Moellendorff Wilcken Windisch. Proseminariis philologis Pohlenzii Bethii Caroli fratris per singula semestria interfui, per duo seminario Dilesio Wilamowitzio Vahleno (†) moderantibus, societatum Indogermanicarum Wackernageli et Brugmanni sodalis fui, Guilelmus Meyer et Wilckenus ad exercitationes palaeographicas, Studniczka ad seminarium archaeologicum benigne me admiserunt. Quibus praeceptoribus summam habeo gratiam. Ricardum Heinze huic opusculo, studiis meis semper favisse patrem Carolumque fratrem grato pioque animo profiteor.

Gaylord Bros.
Makers
Syracuse, N. Y.
PAT. JAN. 21, 1908



Meister, L.

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY